IOANNIS BRUNONIS


M. D.,

DE MEDICINA PRAELECTORIS,
SOCIETATIS MEDICAE PRESIDARII,
ANTIQUARIORUM APUD SCOTOS
AB EPISTOLIS LATINIS,

ELEMENTA MEDICINAE.

EDITIO SECUNDA ITALICA

Post ultimam Edimburgensem plurimum emendatum atque integrum Opus exhibens,






CUI PRAEFATUS EST

PETRUS MOSCATI

IN REGIA TICINENS. UNIVERS. ANTEA ANATOMES
ET CHIRURGIAE,
NUNC MEDIOLANI REG. ARTIS OBSTETRICIAE
PROFESSOR ET MEDICUS
IN PUERPERARUM ET INFANTUM VALETUDINARIO
OBSTETRICIUS.





VENETIIS MDCCXCIII.

Excudebat Iacobus Storti

Annuentibus Superioribus.

PRAEFATIO.

Ab huius operis scriptore viginti amplius anni, discendo, docendo, nullas medicinae partes non diligenter scrutando, consumpti. Quorum annorum quinque primi, aliunde accipiendo, accepta cognoscendo, credendo, quasi pretiosam possessionem, occupando; proximum lustrum, singula clarius explanando, subtilius excolendo, poliendo; tertium dubitando, quia nihil ad mentem processerat, algendo, cum multis claris viris, cum ipso vulgo pro incerta penitus & incomprehensibili salutiferam artem deplorando; sine fructu, sine dulcissima rerum menti, luce veri, praeteriere, tantaque caduci & brevis aevi mortalis pars, tam opima, periit. Solo quarto lustro, veluti viatori, ignota regione, perditis viae vestigiis, in umbra noctis erranti, perobscura quaedam, quasi prima diurna, lux demum adfulsit.

Decimo tertio abhinc anno, cum ille XXXVI aetatis ageret, in primam podagrae accessionem incidit. Plurimos ante annos bene vixerat, nisi quod paucis ante morbi adventum mensibus tenuiore solito victu se continuerat, circiter XL diebus cursum suum morbus absolvit, nec, nisi sexto dein anno, ac tum quoque, post aliquot tenuis praeter solitum victus menses, repetivit. Firmissima erat aetas, habitus, excepta podagrae labe, & inducto per insolitam abstinentiam debilitatis aliquanto, bonus. E plethora & nimio vigore pendere morbus, ex vetere medicorum opinione, dicebatur. Materia e genere plantarum pro cibo praecipiebatur, vinum vetabatur. Quo cum cura facto, morbus non rediturus promittebatur. Totus in hac administratione exactus annus. Intra quem quatuor violentissimae, longissimae, accessiones acciderunt, annus claudicationem inter & cruciatum, preater XIV dies, divisus. Unde tantae turbae, si sanguinis abundantia & nimius vigor in cau-

sa esset, quaeri coeptum? Cur XII, XV ante annis, cum sanguinis, vigoris, plus suberat, morbus non incidisset, & , post magnum & satis longam de victu remissionem, demum prodiisset? Cur inter primam accessionem, & has recentes, quo tempore ad solitum victum uberem reditum erat, tantum temporis intervallum intercessisset, iamque bis, post victus in parciorem mutationem, propediem contigisset? Haec omnia reputabantur. Tandem huius quaestionis solutionem maior altera expediit. Quid prima vitae parte cibi, potio, & similia alia vitae adiumenta, faciunt? Robur dant. Quid postea? Minus usque minusque. Quid sub vitae finem? Adeo non amplius roborant, ut manifeste debilitent. Quin &, iisdem, quibus ante sustentatur, praesidiis tandem vita, plerumque morborum interventu, finitur.

Cum morbi prius, dein mors sic, non ex inopia, sed vitae praesidiorum copia, incidant: debilitatem tamen morbi causam deprehendebat, &, non debilitantia, sed roborantia, in auxilium esse quaerenda, videbat. Hanc igitur indirectam debilitatem nominandam putabat (XXVIII. ad XXXVI.). Roborandi ratio ita feliciter per biennium cessit, ut huius fine levissimam tantum accessionem expertus sit. Quae ne quarta pars cuiuslibet priorum quatuor erat. Verum nullus medicus inficias ibit, quin talis morbus, qui quater uno anno recurrerat, saepius, quam pro hac ratione, biennio proximo sub eadem curatione, recurrisset, nec, binas singulis annis adiicere, nimium esse putabit. Mitis accessio, quarta parte, grate, gravioribus minor erat. Multiplicia igitur XII per IV, & ea computatione levati morbi ratio e quadragenis & octonis ad singula redibit. Ut primo anno solis cibis e plantis usus erat, ita hoc biennio solis fere carneis, & quam maxime alentibus, utebatur. Optimum genus eligebat, in copia parcebat.

Juvenis, qui apud illum habitabat, & asthmate gravissimo laborabat, eodem modo curatus, pro quotidiano morbo unam tantum accessionem exacto biennio passus est.

Postea, cum saepe ei obiectum esset, ideo podagram in

debilitate sitam non esse, quod comes eius inflammatio esset; hanc quoque in debilitate positam neutiquam dubitans, periculum veri fecit. Invitavit amicos ad prandendum, bibit hilariter, & intra duas horas eius pedis, quo impransus tangere pavimentum prae dolore nequierat, integerrimus usus restitutus est. Unde asthenicam quoque esse inflammationem videbat, Talesque deinde gutturis in cynanche putrida, in gangraenosa, in rheumatalgia, quae perperam rheumatismus longus nominatur, & in fine typhi, quae cerebrum interdum adficere creditur, dummodo adficiat, inveniebat.

Cum podagra canalem alimentarium, maximeque ventriculum, adficiat, & saepe turbis, dyspepticarum consimilibus, grassetur; ecqua ei cum iis esset adfinitas, scire cupiens, has aeque ac illam, stimulantibus auxiliis cedere, animadvertebat. Quin & omnes illic spasmodicos, omnes convulsivos, omnes fere pueriles, morbos eiusdem notae esse, dein comperiebat.

Porro eosdem spasmadicos & convulsivos adfectus, etiam in motus voluntarii instrumentis investigans, eandem eorum quoque naturam, sed vehementia maiorem, ut in variorum corporis extrinsecus locorum spasmis & doloribus, item in ipsa epilepsia, in ipso tetano, detegebat. Eaque ratione ingentem adfectuum numerum, in quibus, tanquam inflammatorii fuissent, scalpellus sine fine strictus erat, e sanguinis penuria & aliis debilitatis causis pendere, & non sanguinis, non aliorum humorum detractionibus, sed repletione & restituto robore tollendos perspiciebat.

Primo quoque tempore, ad accessiones podagrae solvendas, vino & consimili potione valida, item alente cibi materia, nempe carnea condita, contentus potentiorum remediorum usum differebat. Quae utique nuper mira cum felicitate expertus, toties accessiones repellendi, valetudinemque simul firmandi, quoties repeterent, hactenus adeo desideratum desperatumque arcanum per opium deprehendebat, quod in se & aliis saepius effecit. Iam tertius annus agitur & prope exigitur, ex quo frustra ipsius eum morbus revisit.

Similibus curationum exemplis edoctus, sanguinis pro-

fluvia, quae haemorrhagiae dicuntur, non e plethora & vigore, sed e sanguinis penuria, & aliunde nata debilitate pendere, comperiebat, eaque phlogisticorum, ubi in prima editione disposita erant, numero reiecit, inter asthenicos in secundo operis volumine collocanda. Sanguinis enim detractionem, varias purgationes, inediam, frigus, & sedantia, quae dicuntur, noxae; stimulatricem curationem solam saluti, esse cernebat, ipsumque vinum & gallicum spiritum, quae adeo nocentia indicata erant, potentissime omnium morbos solvere, reperiebat. Qua re comperta, in omnibus morbis, ubi sanguis abundare visus aliis erat, eum deficere, & ex eo, aliorumque stimulorum, defectu, debilitatem causam, remedia stimulantia, pro causae magnitudine, esse dicebat.

Eandem febrium, tam intermittentium, quam continuarum, causam & curationem, adfulgente e medendi ratione luce, cognoscebat.

Et sic paulatim, a natura, circa patulum asthenicorum morborum orbem, quasi manu ductus, omnes ab eadem causa, nempe, debilitate, pendere, omnes eodem remediorum, nempe, stimulantium, genere, solvendos, & neque causam neque curationem, nisi magnitudine differre, percipiebat

Quod ad phlogisticos morbos attinet, quorum neque causam, neque curationis rationem alii viderant, in iis inflammationem non causam, sed effectum, esse, & causa, nempe diathesi, nec ea quidem, nisi perquam vehemente, nasci iamdudum intellexerat. Deinque catarrhum non a frigore, ut vulgo indicatur, sed a calore, & reliquis notis stimulis, effici, a frigore, & aliis auxiliis debilitantibus, solvi, in se ipso experiabatur. Quod repertum eum ad catarrhalia in rubeola symptomata aestimanda ducebat, ubi maximum virum, qui phlogisticorum morborum curationem tantum promoverat, asthenicorum ignarus erat, ab alexipharmacis medicis seductum sentiebat. Cumque ea symptomata maxime periculosa morbi pars sint, igitur eorum vera curatio non totius morbi curationis plurimum interesse non poterat. Quo factum est, ut refrigerans & antiphlogistica cura-

tio, postquam eius periculum factum est, aeque in rubeola ac variola, prodesse sit comperta. In phlogisticis morbis causam illustravit, curationem amplificavit, ditavit, explicavit, ad certum principium reduxit. Communes omnes morbos in duas formas, phlogisticam seu sthenicam, & asthenicam seu antiphlogisticam, distribuit. Illos in nimia incitatione, hos in deficiente consistere; illos debilitantibus, hos stimulantibus auxiliis tolli; utrorumvis noxas excitantes alterorum auxilia, & contra, esse, & ea eodem opere, ac potestates secundissimam valetudinem creantes, agere, tantummodo magnitudine differre, demonstravit. Eandem ad plantas extendit doctrinam. Principium, quod omnes partes illustrant & confirmant, proposuit. An igitur ars conjecturalis, sibi parum constans, & longe plerisque sui partibus falsa, in certam demum, quae vitae dici possit, scientiam est redacta?

EDITORIS PRAEFATIO.

Librum, quem in lucem nunc edimus, neque perfunctorie legere, neque per diariorum compendia cognoscere; sed attente admodum considerare, non infrequenter etiam sedulo oportet meditari. Praeterquamquod enim dictionis asperitas, aliquando etiam obscuritas negotium facessit; strictus admodum idearum nexus, rerumque absoluta, quin etiam non raro audax novitas maximam legentis adtentionem postulat, si modo non audita prius Authoris cogitata recte adsequi velit. Clarissimus huius operis Author, maximo ingenii acumine praeditus, id sibi propositum insolens habuit, ut omnes, potissimum vero apud Anglos sui temporis receptas theorias è fundamentis everteret: neque facundius usquam, aut vehementius dum vixit disserebat, quam si recentiorum, quae certiora credidisses, placita coniuncto multorum argumentorum pondere refutasset. Quod quidem nisi ad convictionem usque apud auditores omnes obtinuit; tantum tamen in Edimburgensi celeberrima Scientiarum Universitate, adversantibus licet maximi nominis doctissimisque Professoribus profecit, ut raro admodum, neque fortasse a Socratis temporibus renovato exemplo, non exiguus auditorum numerus, qui eum disserentem audire cu-

piebant, carceres frequentare, in quibus ipse malo fato fuerat conclusus, non abhorruerit (1).

Simplex admodum, quin imo simplicior fortasse omnibus, quae hactenus in lucem editae sunt, si Themisonem exceperis, Brunonis (Anglice Brown) doctrina esse videtur; nempe determinatam quamdam solidarum partium vim, determinatum eorundem tonum sanitatem potissimum facere; eum, si nimius fuerit, morbos aliquos gignere, alios si infra sanitatis gradum fuerit diminutus. Morbos a nimia solidorum vi vel rigiditate procedentes, sthenicos; eos vero, quos nimia debilitas vel laxitas fecerit, asthenicos adpellat; atque sub duplici hoc diversarum humani corporis partium statu totam, quanta apud Sauvagesium, aliosque recentiores Nosologos, grandioribus voluminibus descripta legitur, morborum iliadem comprehendit. Qua quidem in re, si ad generalia tantum haec Brunoniani systematis fundamenta respexeris, multam porro cum antiqua Themisonis & Methodicorum doctrina similitudinem invenies. *Strictum* enim & *laxum* in solidis partibus, quod morbos fere omnes facere Themison docuerat, satis recte accommodari posset sthenicae & asthenicae, eorundem solidorum conditioni, nisi quod noster duo haec tantum doctrinae fundamenta recipiat; Themisonem autem tertium quid prae-

(1) Singularem hanc historiolam accepimus a clariss. in Mediolanensi Nosocomio Clinicen profitente Iacobo Locatello, qui praeterea Brunoniani operis exemplar ex Anglia secum advectum nobiscum humanissime communicavit, cuius ope editionem hanc fieri curavimus.

terea recepisse legimus, nempe *mixtum*, aut talem aegrotantis praeternaturalem statum, in quo aliquid *adstricti* nimis, & aliquid identidem nimis *laxi* eodem tempore inesset. Caeterum uterque abditarum in morbis causarum investigationem, naturalium actionum quaestionem, & quidquid non evidens, aut in utramque partem disputabile reiecit.

Atque ut aliquam Brunoniani systematis, per summa saltem capita, ideam tradamus; postquam ipsius praecipua exposuimus fundamenta, sciendum est, quod relicta irritabilitatis ac sensibilitatis, quo ad earum indolem, & agendi modum, consideratione; num hae vires sint inter se distinctae, & separatim agentes, an vero aliquibus, & quibus nexibus invicem devinctae: num in organica partium structura, an potius in fluidis aliquibus intimam nervorum musculorumque substantiam pervadentibus, eorum actiones resideant; id sibi solum adsumit cl. Author, nempe omnes viventis animalis actiones ita exerceri, ut in unicum quasi scopum consentiant: tum facultatem eam evidentem, quaecumque demum sit, cuius ope vivum animal actionem stimulorum extus adplicitorum persentire valet, ita ut immutatio aliqua in ipso oriatur, *incitabilitatem* appellat. Hac potissimum facultate vivum animal a mortuo, animalium universitas ab inerti materia differt. Stimulos in externos dividit & internos; externorum nomine recipit in genere calorem animalem, cibum, sanguinem, humores omnes a sanguine secretos, aërem, venena; forte etiam invisibilia miasmata contagiosos morbos facientia: internos vero sti-

mulos adpellat, musculorum contractionem, sentiendi & cogitandi facultatem, animi pathemata: hosque omnes stimulos in universum potentias excitantes, eorum vero effectus quoslibet vocat *incitamenta*. Hinc quotiescumque motum aliquem aut animi, aut corporis videmus, tunc stimuli alicuius praesentiam certe coniicere possumus, etiamsi ope sensuum eundem non percipiamus. Stimulorum omnium ea est constans ratio, ut moderati vitam cum sanitate sustineant, nimis aucti, morbos sthenicos, diminuti, asthenicos faciant. Eademque porro ratione, si incitabilitas, seu animalis ad sentiendos stimulos aptitudo immutetur, aut per excessum, aut per defectum, eadem remanente stimulorum vi, eadem supradicta oritur morborum differentia. Ac quoniam vita consistit in *incitabilitate*, seu facultate sentiendi stimulos, & eorum actio tractu temporis incitabilitatem exhaurit; sequitur inde quod aut continuus stimulorum nimis validorum usus, aut eorum nimia, vel nimis frequens applicatio incitabilitatem citius exhauriat, & vitam reddat breviorem: quod porro satis concinne explicat, cur morbi frequentiores, vitaque in universum brevior & debilior observetur apud cives lautiori victu, vino, luxui, & voluptatibus deditos: contra vero sanitas, robur, longaevitas pretium sint laboris & frugalitatis.

Cum itaque morbi vel ab aucta nimium, vel ab imminuta vi vitae, seu, ut cl. Author aito incitabilitate pendeant, tota medendi ratio in e; consistet, ut vel stimulos addat ubi deficiunt, vel auferat ubi validiores reperiantur, vel etiam

aliquando immutet, quandoquidem id quoque proficere usu & experientia compertum est. Morbos deinde sthenicos peculiariter & per singula considerans cl. Author plurimum amplificavit, illustravitque. Inflammationum duo esse genera posuit: sthenicam aliam, quae resolutione vel suppuratione semper absolvitur; aliam vero asthenicam, quam partis affectae mors, sive gangraena excipere consuevit. Similium morborum similem esse debere Methodicorum more docuit curationem: atque ita peripneumonia, ad exemplum, rheumatismus, variola, rubeola, catarrhus iisdem remediis cedunt, eandemque sthenici omnes morbi curationem suscipiunt. Frigoris noxas in iisdem sthenicis morbis, quas ex eius stimulante & adstrigente vi plerumque Medici reformidant, ipse negat omnino, utpote qui contrariam frigori virtutem inesse, debilitantem scilicet, contendit. Iisdem principiis legibusque asthenicorum morborum curatio innititur. Ac quidem, ex. gr., hydrops, febris, podagra, rheumatalgia, sive chronicus rheumatismus, pictonum, sive saturnina colica, pestis iisdem fere remediis curantur. Asthenica porro, quam ipse proponit, cura vel methodus prorsus nova, neque antea in usum recepta est: docuitque remedia aliqua, quae sedantium nomine adhibentur inter quae praecipue opium (2), validissima sti-

(2) Nova haec opii theoria tantam in Edimburgensi medica Schola peperit admirationem, ut lapide ad aeternam rei memoriam digna visa fuerit. Nempe Medicorum collegium dum marmoream Brunoni effigiem intra Universitatis edes reponendam decerneret,

mulantia esse: quod postquam pluribus rationibus & argumentis posuit, in eam venit opinionem, pluribus iisque novis observationibus confirmatam, nempe communem remediorum omnium eam esse actionem, ut stimulando in universum agant, neque anodynis & narcoticis, neque opio ipso, ut supra innuimus, excepto. Tandem ita per singula eundo propriis rationibus & observationibus cl. Author confidere videtur, ut fere non dubitet adserere, medicinam se, quae antea coniecturalis ars nec sibi constans esset, in certam veramque scientiam convertisse: quod quidem quo usque factum fuerit, aequi lectores, clarissimique nostri temporis Medici nulli partium studio addicti iudicabunt.

Nunc postquam de cl. Authoris meritis & systemate diximus, quae causae edendi apud nos libri fuerint breviter indicare oportet. Non enim hoc cepimus consilium aut quod Brunonis placitis ita adsentiamur, ut eum undequaque optimum credamus; aut quod cum eo reformandam funditus medendi artem arbitremur, aut demum quod velimus lectores nostros rerum omnium, quae huc usque de salutari arte conscriptae sunt, oblivisci; quemadmodum de se ipso celeberrimus Author narrat in praefatione. Sed cum videremus eam apud Italos in universum dominari

---

sub ea memorabilem hanc sculptam epigraphen voluit " *Opium mehercle non sedat* ". Ita siquidem factum accepimus ab egregio medicinae Doctore, maximaeque spei viro Iacobo Masinio, cui per epistolas Edimburgi recenter conscriptas id fuit communicatum. Huius etiam egregii viri humanitati & diligentiae mendosi admodum in anglica editione operis adtentam huius nostrae editionis correctionem debemus.

Boerhaavio, Bellinio, Redio, ac inter caeteros recentissime cl. Burserio nostro praeeuntibus, artis theoriam, quae fluidorum compositioni, motui, actioni primam tribuat; minus autem, quam animalis structurae leges postulant, solidarum partium actioni, & viventis, ut ita dicam, materiei insitis proprietatibus. Cum hac theoria duce multi morbi ad humorum non bene certa vitia saepe referantur, proindeque tanquam si id certum esset, curentur; cum passim sanguinis aut nimiam fluiditatem aut densitatem; aut quod frequentius acrimoniam accusari audiamus in his morbis, quorum recta curatio vix suscipi potest, nisi habito quam maxime ad solidorum indolem respectu. Cum denique morbos aliquos non raro ex hac praeconcepta vitiorum sanguinis opinione tamquam insanabiles derelinqui observemus, quin eorum curationem quamlibet perniciosam depraedicari: quorum tamen aliquos aut naturae quoquomodo restaurata vis, aut copiosior nutritio, aut vini usus, exercitatumque vitae genus non sine Medicorum admiratione tractu temporis tollunt (3). Omnia haec, inquam, cum in

---

(3) Morbos aliquos huius generis dari quotidiana observatio ostendit, ac inter venereos potissimum tales huiusmodi non raro contingere primus quod sciam recte docuit Hunterus: aliqua enim ulcera post bubones apertos vidit pleniori victu, exercitatione, aëris rustici puritate convaluisse, quae neque mercurialibus internis, neque topicis remediis; neque diaeta ad cicatricem perduci potuerant. Atque aliud praeterea in eodem opere de morbis venereis systhemati Brunoniano, quod ipse ignorabat, consentaneum monitum tradidit; victus nempe rationem in venereis morbis (qui ex asthenicorum classe iuxta Brunonem sunt) non bene eorum medicae curationi plerumque aptari: nihil enim nocet si aeger mercurialem inunctionem patiens vino utatur; & victu aliquanto pleniori, & elastico aëri, dummodo temperatus fuerit, exponatur. Hanc

dies aliquibus ab hinc annis observaverimus, rem profecto iunioribus Medicis perutilem nos facturos censuimus, si ope Brunoniani operis prudentem ac rectae saepe rationi innixam dubitationem circa humoralem theoriam iniiceremus. Non quod ignoremus clarissimos alios viros, Hofmannum in primis, dein Whitium, Cullenium, Gregorium, Milmannum, compluresque nostri temporis Anglos solidorum considerationem, ac viventium in iis virium observationem multo artis emolumento depraedicasse; quin theoriam hanc naturae animalis legibus magis consentaneam a celeberrimis in Ticinensi Universitate Collegis in dies plurimum illustrari (4). Sed in Brunone nostro parvitatem molis; strictum admodum idearum nexum; systematis simplicitatem; argu-

ego venereae luis confirmatae, sive, ut nuper aiunt, *constitutionalis* tractandae methodum plus una vice adhibui, eademque nunc passim utor felici eventu. Neque fere unquam foeminas, quae mihi ex instituto se curandas offerunt, vino abstinere iubeo, aut victu satis nutriente dum mercurialem inunctionem patiuntur; ea tamen cautione adhibita, quam pernecessariam iudico, modicas scilicet, quin etiam tenues linimenti mercurialis doses singillatim adhibendi, easque quotidie, & non interposito aliquorum dierum intervallo. Sic minori in universum mercurii adiposi quantitate adhibita quam vulgo consuevit, composita hac ex frequentibus modicisque inunctionibus, & ex plena satis victus ratione, sublato decubitu aut mora intra clausum cubiculum mihi contigit venereos aliquos morbos superasse, qui validiori antea hydrargyrosi communi methodo exhibitae pertinaciter restiterant.

(4) Huc referri quoque meretur recens clarissimi, multoque ingenii acumine praediti Eusebii Vallii opusculum novam quamdam ingeniosamque chronicorum morborum theoriam complectens, quae eo tota fere redit, ut plures chronicos morbos non a fluidorum vitio originem trahere; sed ex solidarum partium organicali degeneratione, ut pro sanis morbosos, quousque vitium in iis perduraverit, humores secernant. Singularis huius opusculi titulus est *Saggio sopra diverse malattie croniche; del Dottore Eusebio Valli, Pavia* 1792.

mentorum robur; dicendique vim quam maxime apud lectores proficere posse iudicavimus.

Atque ita sperandum esse credidimus imbutos aliquando hisce principiis Medicos atque Chirurgos multa imposterum, quae huc usque usu magis quam ratione recepta non sine aegrotantium pernicie fiunt, immutaturos. Nempe quando, e. g., duplex inflammationis genus dari observaverint; quorum aliud a debilitate, aliud a rigiditate fiat, non semper praesidium omne ab iterata vena sectione, a debilitantibus remediis repetendum; contra vero roborantibus in auxilium vocatis, saepe magis profici pervidebunt (5). Cum puerperii morbos maximam partem ab asthenia pendere sibi persuasum habuerint; non in tenuissimo victu; non in multa purgatione; non in phlebotomia nimium heu saepe repetita, confidendum esse cognoscent: verum e contra vinum; corticem peruvianum; analeptica remedia adhibentes

(5) Insigne inter alia asthenicae inflammationis exemplum habetur in angina membranosa, seu poliposa, seu cynanche stridula in infantibus aliquando epidemica, iisque summopere perniciosa, quam si emollientibus & debilitantibus tractaveris misellos aegrotantes ut plurimum neci damnabis. Ego vero sola observatione duce multo ante Brunonis nostri doctrinam cardiacis, & stimulantibus etiam validis, ut moschus est, foliciter tractavi adhibita aliquando hyrudinum ad laryngis latera applicatione; alias peruviani corticis extracto, aut liquore cornu cervi succinato &c: Namque non omnino simplex idemque semper hic morbus est, quemadmodum praeter alios optime clarissimus in Pensilvania medicus Beniaminus Rush observavit; adestque talis cynanche ab ipso humida dicta, quae nonnisi calomelano, peculiari nempe stimulantis remedii genere feliciter curatur. Morbum hunc, qui paucis praecipue ab hinc annis non infrequens est, & in promptam puerorum necem saepe terminatur, dolendum non satis generaliter observatum apud nos esse; quod quidem ex mortuorum schedis colligitur: quapropter perbrevem ipsius historiam retexere, & in medico-chirurgico Mediolanensi Diario evulgare constituimus.

bentes non paucas puerperales febres, dicam etiam plura quae apud nos observantur puerperarum infortunia evitabunt (6). Quando infantes quantumvis delicatulos pro asthenicis animantibus acceperint, non blandioribus eos remediis, syrupo mannato, oleo &c; sed validis, dummodo apta dosi adhibitis stimulantibus, eos tractabunt ialappa, diagridio, liquore cornu cervi succinati; eoque validioribus, quod contra communem apud nos consuetudinem est, quo delicatior fuerit infans debiliorque (7). Ubi in putridis febribus

---

(6) Adsertionem hanc post plurium annorum praxim non infelicem satis fidenter evulgare non pertimesco; sthenicamque curationem puerperis in universum prodesse; asthenicam vero nocere extra dubitationem observavi. Hinc a venaesectione & sale cathartico anglico etiam in iis casibus fere semper abstineo, in quibus lac e mammis avocari debet: tantaque vini copia, quod aptius populo & Nosocomio cardiacum est, in puerperis passim utor, ut insolens praescriptio multam non semel apud huius systematis ignaros pepererit admirationem. Neque vero credatur velim me erroneae mulierculatum nostrarum opinioni favere, quae validam copiosamque nutritionem puerperis necessariam esse in earum perniciem depraedicant: excitare equidem puerperas asthenicas volo; sed non ope ciborum, quorum laboriosa ac difficilis immutatio ventriculum caeterum debilem defatiget; iisque potius substantiis, quae robur magis immediate sine virium vitalium defatigatione concilient, sicuti vinum, cortex peruvianus, & alia excitantia sunt, quibus pro opportunitate uti consuevi. Postremus equidem etiam nutrientium ciborum effectus est virium restauratio; sed si eos sthomaci asthenia in bonos succos convertere non valuerit; gastrica potius colluvies in puerperis quam virium refacillatio sequatur necesse est. Quapropter meam circa puerperii morbos praxim quod adtinet, id potissimum contendo, ut auditores humanissimi qui Nosocomium nostrum frequentant, potius discant quid non faciendum sit, quam quid plerumque in puerperarum damnum factitandum.

(7) Circa infantum medicinam id diuturna experientia comperi in eorum morbis plus longe in universum excitantibus medicamentis profici quam debilitantibus; quae tamen nou ideo prorsus ab eorum medicina exulare velim. Sic si evacuatio intestinorum in debilioribus infantulis promovenda sit, id melius diagridio, ialappa fit, quam blandis lenientibus: si convulsiones, eclampsiam, tris-

non ad humorum tantum corruptionem praecavendam, sed ad enervatam solidorum vim restaurandam animum adverterint, maximam sinapis anglicae, capsicorum, aliorumque huius sensus excitantium utilitatem persentient (8). Fortasse

---

mum vincere velis, id saepe vino antimoniato, tartaro emetico, frictionibus excitantibus, liquore cornu cervi succinato satis copiose adhibito; quin etiam inustione cervici adplicata satis feliciter obtinetur: quod quidem efficacissimum praesidii genus veteribus adhibitum nostra aetas perperam negligere consuevit. Tandem peculiaris illa astheniae species funestam eorum petto tum corpus duritiem producens, quam Galli *Endurcissement du tissu cellulaire* satis apte adpellant; quaeque haud recte meo quidem iudicio frigoris actioni potissimum tribuitur: hunc inquam infantum valde gravem morbum post plurima capta experimenta nusquam melius curari cognovi quam & actione caloris, farinarum calentium ope universo corpori adplicatarum, conservati; & ope liquoris anodyni mineralis largiori dosi adhibiti; quod porro inter excitantia remedia in Systemate Brunoniano recenseri debet; aliquando etiam satis copiosa liquoris cornu cervi succinati dosi. Ex quibus omnibus colligitur id quod superius posui, validam nempe potius & efficacem in genere, quam blandam & debilitantem medicinam in infantibus esse contra communem consuetudinem adhibendam.

(8) Sinapis Anglicae usum quammaxime in febribus putridis profuisse etiam prae cortice peruviano, cujus vis adstringens crises impedit, apud clarissimum Callisen post plura experimenta legimus in novis Actis Societatis medicae Hauniensis tom. 1.; ubi videre est effectum excitantis hujus remedii tantum, ut morbi epidemice grassantis mortalitas antea multa, post usum sinapis imminuta admodum fuerit: circa ejus dosim & propinandi modum vide loc. supracitat. Quod vero ad capsicorum usum pertinet, doleo hoc efficax nostratis remedii genus inter officinalia remedia recipi non consuevisse. Ejus tum vires tum incommoda recenset Hernandez in historia Mexici: Plura de eodem Carolus Clusius peculiari commentariolo collegit. Virtutem febrifugam in intermittentibus protractis & repullulantibus seminum capsici agnovit cl. Bergius Mater. med. tom. 1. pag. 147. Eandem antea maximi in praxi nominis Ettmullerus praedicaverat: quin celeberrimus hic auctor ait se parare consuevisse essentiam quamdam e capsicis in spiritu vini infusis -- *ventriculo singulariter amicam*, *appetitum provocantem*, *mucumque ventriculi & sordes abstergentem* -- (Oper. ex editione Neapolitana cum notis tom. 4. pag. 410.) Ego vero non essentiam, sed extractum aquosum diligenter admodum a me paratum aliquibus abhinc annis adhibeo adversus intestinorum & ventriculi debilitatem optimo effectu; hoc

etiam processu temporis non ita absurda & generaliter improbanda Salvadorii methodus circa hecticorum curationem videbitur, in qua profecto qui eam experimentis subiiciet, id singulari observatione dignum animadvertet; nempe largiorem vini, ciborum, laboris, caloris, aliorumque excitantium usum, nisi sanaverit, longe tamen abfuisse ut tantum attulerit detrimenti, quantum ex communi theoria expectasset.

Multa adhuc ad ostendendam Brunonianae huius editionis utilitatem possemus recensere, nisi haec ultra praefixos praefationi limites nos abducerent. Quapropter id unum sub finem monebimus, quod si nova haec Brunoniani operis editio clarissimorum in Italia Medicorum suffragia meruerit; curabimus ut aliud eiusdem Authoris opus anglico sermone conscriptum (9), italico aut latino sermone redditum typis quoque nostris edatur, in quo & obiectiones plures celeb. Vir refutare sategit; & Cullenii systema, doctrinasque suo tempore Edimburgi potissimum receptas infirmare aggressus est.

---

nescio an efficacius, ventriculoque aptius remedium in aliquibus casibus habeamus: de ipsius propinandi modo & dosi alias dicendi locus fusius occurret.

(9) Libri huius titulus est Robert's Jone's an inquiry into the state of medicine on the principles of the inductive philosophy, Edimburg 1781. 8vo. — atque eius in italicum aut latinum sermonem vertendi non exiguum in se laborem suscipiet, adnotationibusque etiam fortasse augebit pro eo quo medicae scientiae incrementa quaelibet amore prosequitur dignissimus Iacobus Masinius, cuius noc modo ingenium, sed & maximam in observando sedulitatem, & medico-chirurgicam in universum doctrinam plurimi faciendam sciens prudensque senseo.

ELEMENTA MEDICINAE.

PARS PRIMA ET RATIONALIS.

CAP I.

I. MEdicina est, secundam animantium valetudinem tuendi, edversae occurrendi ac medendi, scientia,

II. Idem, ad plantas conversum, studium, Agricultura nominandum.

III. Secunda valetudo est, omnium actionum iucundus, facilis & iustus usus. Iucunditas, nisi metaphorice, minus ad plantas pertinet.

IV. Adversa valetudo in omnium, aut aliquarum, exercendarum molestia, difficultate, aut perturbatione consistit. Haec morbos respicit.

V. Morbi sunt vel universo corpori communes, communes dicendi; vel aliqua parte contenti, locales nominandi.

XII. Corporis ipsius actiones idem (X.) praestantes, contractio muscularis, sensus, & cerebri in cotando, adfectus ciendo vis, sunt.

XIII. Earum rerum & actionum (X. XI. XII) sublato opere, mors certa: Nihil fere aliud vitae necessarium.

XIV. Proprietas (X), per quam utraeque (XIII) agunt, Incitabilitas dicenda, ipsae Potestates incitantes nominandae, Vocabulo corpus, tam corpus simpliciter dictum, quam etiam mente, animo, vel anima, praeditum, significatur, systema vulgo dictum.

XV. Potestatum incitantium comunis effectus, sensus, motus, mentis actio, & animi adfectus, sunt. Qui effectus cum unus idemque sit; omnium igitur potestatum opus unum & idem quoque esse, nec aliarum aliam actionem existere, concedendum.

XVI. Potestatum incitantium, in incitabilitatem agentium, effectus Incitatio nuncupandus.

XVII. Eaedem, quoniam aliae manifestis impulsibus agunt, idem aliarum effectus eandem operis rationem arguit, & omnibus vis agendi quaedam inesse videtur, stimulatrices adpellandae.

CAP. III.

XVIII. Quid sit incitabilitas, quoque pacto ab incitantibus potestatibus (XIV.) adficiatur, ignoratur. Sed, quicquid est; vel eius aliquantum, vel eius vis aliqua, unicuique vivere incipienti tribuitur. Tributi sive vis, sive copia, in aliis animantibus, & iisdem aliàs, alia est. Partim ob incertam rei naturam, partim

ob sermonis communis egestatem, item huius doctrinae novitatem, incitabilitas modo abundare, cum stimuli parum admodum est; modo deficere, exhauriri, aut consumi, cum is vehementius incubuit, passim deinceps dicetur. Tam hic, quam aliàs, ubique rebus veris standum; lubrica causarum, utpote fere incomprehensibilium, quaestio, venenatus ille philosophiae anguis, cum cura fugienda. Nequis igitur, per modo relata dicta, incitabilitatis naturam respici; aut, an materia sit, & sic, modo augeatur, modo imminuatur; an adhaerens materiae facultas, nunc vigeat, nunc langueat, definiri, aut ullo modo reconditam quaestionem attingi; quod magno scientiae malo semper fere factum interpretetur,

XIX. Quoniam incitabilitatis aliquantum, quamvis exiguum, semper in vita subest (X. XIII.), nec potestatum inctiantium actio, validior, imbecillior, unquam deest; omnibus igitur his vis stimulatrix (XVII.) maior, minorve, nimia, iusta, deficiens, inesse iudicanda. Magna sanguinis copia nimis stimulat, eoque morbos, in nimio stimulo positos, concitat; sed eiusdem penuria, quamvis debilitans, & morbos, quos debilitas causa continet, adducens, etiam stimulare, tantumque eominus, quo ipsa maior sit, intelligenda. Eamdemque omnium potestatum incitantium ratio, nisi quod venena & contagiones (XI.) excipi posse videntur. Sed

XX. Venena aut non faciunt communes (V.), de quibus hic agitur, morbos; aut, si faciant, idem, quod solitae potestates (XIV.), agendo, eiusdem arguuntur operis.

XXI. Aliae contagiones morbos, in nimio stimulo (XVII.), aliae in debilitate (XIX.), positos, comitantur. Quos utrosque si non solae contagiones, sed solitae etiam in stimulo positae, noxae, quod constat, coniuncto opere creant; ideo, quoniam idem hac in re effectus est, eadem quoque causa: id est, eadem utrarumque operis ratio sit, necesse est. Quin & minus solitis noxis contagiones valere posthac demonstrabitur. Eodem pertinet, quod auxilia nulla, praeter illa quae pendentibus e solitarum noxarum opere morbis medentur, e contagionibus illatos tollunt. Denique magna debilitandi in quibusdam contagionibus vis non magis, quam e frigore par aut maior debilitas suboriens, diversam actionem arguit.

XXII. Quoniam solae potestates communes (XV.) omnia vitae creant, solum earum opus stimulans est (XIX. ad XXII.); in stimulo igitur omnia quoque vitae, omnis sive secunda, sive adversa valetudo, nec in ulla alia re consistunt. Et

XXIII. Potestatum effectus (XV.) incitatio, continens vitam causa, citra certos, quibus perire mox dicetur, fines pro stimuli (XXII.) magnitudine, suboritur; secundam valetudinem mediocris, maior nimii stimuli, morbos, minor in deficiente hoc, seu debilitate positos efficit.

XXIV. Haec incitabilitatis (XIV.) & incitationis ratio est; ut, quo potestates imbecillius egerint, seu stimulus minor fuerit; eo magis incitabilitas abundet; quo validius stimulus incubuerit, eo illa exhaustior subsit; illic admotus stimulus incitationis plus, hic minus, usque suscitet. Ad illud illustrandum, puer aut sobrius exiguo cui nondum assueverunt sti-

mulo, summam quam capere possunt incitationem cito nanciscuntur: huius exempla sint adultus aut potator. Sed eodem pertinent omnes potestates, huc parum, illuc nimis incitantes.

XXV. Ut incitatio ex incitantium potestatum (XIII.) stimulo; non sine incitabilitate (X. XIV.) nascitur, sic haec stimuli & incitabilitatis inter se ratio reperitur; medius stimulus mediam quoque, seu semiconsumptam incitabilitatem adficiens, summam parit incitationem. Quae tanto minor usque subnascitur, quanto vel maior ille, vel haec cumulatior iusto sit. Hinc iuventutis vis, pueritiae et senectutis infirmitas. Hinc, intra modicum magis temporis intervallum ex medio vitae genere vigor, e largiore, parciore debilitas.

XXVI Quod cum ita sit, suus cuique aetati, suus cuique habitui, si incitatio rite regatur, vigor est. Pueritia & ea, quam incitabilitatis copia facit, imbecillitas exiguum stimulum recipit, minore languet, maiore fatigatur. Senectus & ea, quam incitabilitatis defectus creat, infirmitas; largum stimulum postulat, parciore deiicitur, obruitur largiore.

Hinc (XXVI.) quo abundantior incitabilitas est, eo facilius saturatur, minus stimuli recipit. Quae stimuli impotentia eo procedit, ut minimus demum suffocet. Contra quo plus incitationis detritum est, eo etiam usque stimuli minus patitur, donec minimus vitam extinguat.

XXVII. Sed certi fines, intra quos haec (XXIII. ad - VII.) fiunt, sunt. Sic, ut dictum (XXV.), suboriens incitatio duabus conditionibus finitur.

XXVIII. Quarum altera est exhausta vehemente

stimulo incitabilitas. Nam omnes incitantes potestates eo magnitudinis stimulatricem vim perferre queunt, ut nulla deinde sequatur incitatio. Quod ideo fit, quia corpus stimulo amplius recipiendo impar evadit; alio verbo consumpta incitabilitas est.

XXIX. Hinc incitationes, exhausta stimulo incitabililate, finis vel pro tempore, vel extremus esse potest; & vel e breviore stimuli magni mora, vel minoris diuturnitate nasci. Utraque res eodem redit, magnitudine stimuli brevitatem, longinquitate mediocritatem pensantibus. Ex illo subitum, ex hoc tardius praecedentibus morbis fatum; & etiamsi vel iustissima incitationis mensura servaretur, serum demum supervenit.

XXX. Quaevis potestatum (XXII.) id efficit, certius plures aut omnes. Ebrietas, crapula, sudor, languor, calor, sive solus sive frigori succedens, mentis & animi post cogitationem aut graviorem adfectum hebetudo, denique somnus, omnia stimuli magni incitationem exhaurientis (XVIII.), brevitatem subsequuntur. Imbecillitas senilis huius notae morborum periculum, hique ipsi diuturnitatem minoris excipiunt. Utriusque ultima linea mors.

XXXI. Confectam quoque uno stimulo incitabilitatem novus quilibet elicit. Sic lautius pransum, item vel corpore vel mente delassatum, eoque in somnum ruentem, potio valida; hac dormiturientem diffusibilior opii stimulus; oppressum etiam hoc altior & diffusibilior, si quis est, recreabunt. Itinere fessum carmina in saltationem & tripudia; fugiens sic amata, ut eius consequendae spes sit, in cursum, concitabunt. Aspera lectione languidum gratior oblectabit.

XXXII. Incitabilitatis prius stimulis confectae, dein novaer efectae (XXX) consumptae, difficillima reparatu est; propterea quod quo plus ad summam stimulantis operis incubuerit, id est, plures stimuli adhibiti sint (XXIV.), eo minus ad recentes alios, quorum opere cessans incitatio resuscitetur, sic superest aditus. Utque ire ad mortem consumpta uno quovis stimulo, puta vino, incitabilitas potest; ita eum eventum certius plurium vehementia trahet.

XXXIII. Qui casus (XXXII.) eo praeceps magis est, quod incitabilitatis iactura, postquam certum modum superarit, irreparabilis demum evadit, cum nihil ad salutem, id est, incitationem idoneam reponendam, praeter id ipsum quod iacturam fecit, scilicet nimia iam stimulantis operis vis, plus stimuli respuens supersit. Exemplo sit eius, qui in dimidio ebrietatis adhuc cursu subsistit, & eius qui prope totum confecit, curatio. Nam

XXXIV. Ea eiusdem (XXXIII) iacturae demum natura est, ut nisi magno stimulo, sed eo qui ipsam intulerit minore, dein etiam minore vitae usque consulatur, donec per mediocrem qui naturae convenit, stimulum, vel paullo maiorem tandem succurri vitae possit, ad mortem protinus ruat. Difficilis ebriorum, gulusorum, morbis implicitorum curatio, satis hoc evincit. Eodemque omnium potestatum nimis stimulantium ratio pertinet.

XXXV. Sic exhausta stimulo incitabilitas (XXVI. ad XXXV.) debilitas est, hoc indirecta dicenda, quod non deficiente, sed superante stimulo nascitur.

XXXVI. Toto ad indirectam debilitatem cursu, primus cuiusque stimuli impetus proximo, hic eum

sequente, & sic deinde ad extremum, qui non amplius (XXV. XXXII.) incitat, plus usque proque magnitudine vel diuturnitate, quamvis semper aliquid addit (XXI.) evalet (XXVIII.)

XXXVII Idem cursus (XXXV), imminuta subinde incitatione, aucta pro ratione incitabilitate, &c, ut stimuli validius agant, efficiente retardatur, indirecta debilitas prohibetur. Sint exemplo subinde frigida lavatio, subinde ut post crapulam ciborum mediocritas, & similis per omnes alios stimulos remissio.

XXXVIII. Altera finiens incitationem conditio (XXVI. est potestatum incitantium iusto minor, eoque inhabilior stimulando vis. Qui casus quoniam stimulo deficiente, incitabilitate superante nascitur, ab altero huius defectum, illius abundantiam ponente, nec non ob usum distinguendus. Omnes potestates incitantes (X. - I. - II. - III.) adeo deficere stimulum possunt, ut id efficiant. Omnes igitur ad illustrandum pariter, & confirmandum illud pertinent.

XXXIX. Abundat hic, quia subductis stimulis non exhauritur (XXIV. - V. XXXVII.) incitabilitas. Sic in frigida lavatione (XXXVI.) caloris stimulo, eoque universorum summa deficiente, incitatio deminuitur, incitabilitas, ut stimulo minus consumpta (XXV.), crescit. Idem de famelicis, de aquae potoribus, de aliunde refrigeratis, de attenuatis, de quietis, de incogitantibus, de animo deiectis dicendum.

XL. Ut crescente incitabilitate incitatio pro crescendi ratione decrescit (XXIV.), sic ad mortem usque id fieri perpetuum est. Quam rem frigus, fames, humorum iactura, quies (XXXVI.), animi

dolor, & omnia declarant. Quorum singula quoties urgent, in mortem rapide tendunt. Quod si frigus quandoque stimulare videtur (XXXIX.), id non pro iusto frigore, sed vel nimium calorem minuendo, & ad iustam temperiem stimulatricem redigendo; vel aëris ad corpus aditum expediendo; vel incitabilitatem nimio stimulo decrescentem cumulando, stimuloque sic languidius iam agenti vim suppeditando (XXXVI.), praestat. Similique modo si reliqua (XXXVIII.-IX.) relata quandoque iuvant, id simili opere peragunt. Huius frigoris operis exemplum est in plaga torrida, ubi verum vix parabile frigus est refrigerantium quae dicuntur in febribus usus; item resoluti calore scroti per frigus condensatio. Eundemque aliorum, quae (XXXVII.-VIII) relata sunt effectum esse, debilitas omnis frigore, fame, humorum iactura, animi dolore, mentis, corporis, otio, perpetuo crescens evincit.

XLI. Cuiuslibet unius stimuli defectum, & pro rata parte incitabilitatis abundantiam, quilibet alter pro tempore quodamque tenus, saepe cum magno corporis bono pensat (XXXI.). Sic nimis pransum laetus nuncius reficit, parum interdiu corpore mente exercitatum, insomnemque noctem acturum, valida potio consopit. Huius deficientis opium vice fungitur. Veneris inopiam Baccus, huius Venus sublevat, uterque ex alterius defectu languorem invicem pellens. Idem de stimulorum, arte magis quam natura desideratorum, usu dicendum. Tobaccae, trahi naribus solitae, desiderium versus eiusdem in in mandendum usus explet; ex huius inopia natum languorem eiusdem vapor ore diffusus aufert. Quin

& actionibus saepe pro tempore laesis, & hinc ad quosdam consuetos & naturales stimulo ditu negato, ii alii minus soliti, minus naturales suffecti, eo usque vitam sustentant, donec restitutis actionibus, reducta naturalium stimulorum cupiditate, hisque iam naturalem pro consuetudine vigorem tueri valentibus; valetudo confirmetur.

XLII. Ut sic abundans (XLI.) pro cuiusque stimuli defectu incitabilitas per omnes quasi gradus, a minima ad maximam sui copiam, quodam tenus alio stimulo deteri, dein alio periculumque arceri potest, donec eius summa ad eam, quae secundae convenit valetudini, deducatur; ita quo plus incitabilitatis abundet' id est, quo plures stimuli summoti sint, vel potentissimi cuiusque maior inopia fuerit, eo minus ad illam incitabilitatis, in qua vitae vigor positus est, mediocritatem perfugium datur; eoque magnitudinis imbecilitas, eo abundantiae incitabilitas pervenire possunt, ut irreparabilis demum evadat (XXXIII.) incitatio. Nullius potestatis debilitantis usus non hoc illustrat & confirmat, ut in frigore, fame, siti, item in febribus videre est.

XLIII. Haec abundans incitabilitas adeo praeceps ad mortem ruit, ut sola salutis redintegrandae ratio sit, eam stimulo perquam exiguo, vixque eius, qui ipsam fecerit, exiguitatem superante, primum adgredi; dein, detrita iam abundantiae parte, paulo validiore uti; tum prout illi etiam plus detritum sit, etiam validiore hoc progredi; & sic quicquid supervacuum fuerit id usque detrahere; dum ad mediocritatem salutarem demum perveniatur. Qui status debilitati ex incitabilitate detrita (XXXII.-III.-IV.),

et mortis illinc periculo, contrarius opponitur. Sic fame laborans non pleniore cibo; cum siti longa conflictans, non haustu liberiore protinus, sed micatim & guttatim prius, dein paullatim benignius curandus: Frigore torpens paullatim calore fovendus. Tristissimo cuique paullatim laeta nuncianda. Canensi cladi superstitis salus per ambages matri, primum ut ancipite rumore, dein paullo certiore, tum etiam certiore nunciata, denique veluti nullam iam dubitationem recipiens, erat exponenda; novissime ipse mulieri, aliis quoque stimulis una firmatae, & falerno refectae, tradendus. Initio febris, quam in fine, in eadem leniori quam graviori, in minoris infirmitatis morbis quam febribus, stimulis plus utendum, sed ita, ut modo dictum est, incipiendum, ita progrediendum.

XLIV. Nam, quoniam omnis vita in stimulo posita est (XXII.), huiusque pariter copia & inopia morbos, & pro utriusque sive inopiae magnitudine procreat (XXIII): sic utriusque a recto deflexionis aptanda magnitudini sunt; magnaeque debilitati, seu, quod eodem redit, multum abundanti incitabilitati XXV.-VI.), magna per curationis cursum stimuli summa, sed tanto minus quovis tempore, quanto abundantior incitabilitas sit (XXVI.), admovenda.

XLV. Debilitas stimuli defectu nata, recta nuncupanda est; propterea quod nulla noxa posita, sed necessariis vitae presidiis negatis incidit (XXXV.).

XLVI. Per totum rectae debilitatis cursum uniuscuiusque stimuli defectus, defectu maiore, hic etiam crescens ad debilitandum magis usque potest, donec eo demum perveniatur, ut nulla deinceps incitatio suboriatur. Quae nunquam igitur (XXVI.) imminuenda est, debili-

bilitas augenda; silicet ut, cumulata sic incitabilitate, novus stimulus additus tanto validius agat (XXV.). Quoties enim id fit, vitiatus status augetur, & si magna forte debilitas est, augmen eius mortem adducere, non vires augere periclitatur. Atque etiam in mediocri debilitate propter stimuli, quam nimia incitabilitas recipit, exiguitatem, plus ex aucta incitabilitate damni, quam ex aucto stimulo fructus accipit incitatio. Dum enim magna debilitas, & ad arbitrium pari potest; et insequente stimulo creanda incitabilitas arctis finibus continetur. Exemplo sit frigida lavatio in hydrope, in podagra, in febribus, in iam ante refrigeratis, omnique infirmitatis genere. Et quis famem, quis moerorem, quis mentis imbecillitatem, quis e quiete natum languorem, & inopiam sanguinis, hos rectae debilitatis status eo consilio superinducendo tractaret, ut aliquem ex exiguo perquam stimulo (XXV.-VI) in curatione fructum accipiat? Incitabilitatis adcumulatio indirectae debilitati tantum convenit (XXXVII.).

XLVII. Ut rectae igitur debilitati recta nunquam, vana fructus ex novo stimulo spe (XLVI.), sic nec indirectae addenda est.

CAP IV.

De Incitabilitatis sede, et Effectibus.

XLVII. Incitabilitatis in animato corpore sedes materia nervosa medullaris, & firmum musculare est; genus nervosum dicenda Cui insita incitabilitas non

in alia sedis parte alia est, nec ex partibus constat sed una toto corpore & indivisa proprietas. Quam rem, sensus, motus, mentis & animi (XV.) actio, protinus temporis puncto, nec ulla succedentis operis serie potestatibus incitantibus suborientia firmant,

XLVIII. Generis nervosi alii parti alia potestas incitans, nulla omnibus simul admovetur; ita tamen ut universam incitabilitatem unaquaeque protinus adficiat.

XLIX. Earundem potestatum nulla non semper aliquam partem magis, & alia aliam quam caeteram quamlibet adficit: Affecta pars ea plerumque est, cui quaeque potestas recta admovetur. Rursus adfectum partis universo corpore diffusus toto coelo superat.

L. Quantum pars magis laborans, quantum reliquum omne corpus adficiantur; illius adfectu cum tot minoribus coniunctis, quot pares reliqui corporis partes sint, comparato aestimaveris. Sit maior partis adfectus ut VI. uniuscuiusque minor ut III. Minus laborantium partium numerus esto M. Tum parte contenti adfectus ad totius reliqui corporis adfectum, ratio erit ut VI. ad MMM. Quam rem, aut ei simillimum aliquid, noxae excitantes, in totum corpus semper agentes, & earum effectum auxilia toto corpore depellentia, in omni morbo communi confirmant.

LI. Sic summum corpus frigus, ventriculum aut reliquum canalem eundem victus, vasa sua sanguis & reliqui humores, vasa & musculorum fibras labor quiesque, cerebrum animi adfectus ac cogitandi vis, quodque magis quam parem caeteram quamvis partem commovent. Quod ita esse omnia corporis animati declarant.

LII. Maiorem partis incitationem indicant effluens primum exercitati fronte in secunda valetudine sudor, perspiratio cohibita, in morbis inflammatio vel ad hanc adfectio vicina, delirium. Minoris argumenta sunt perspiratio nimia, sine labore sudor maxime frigens & spissus, aliae excretiones fusae, spasmus, convulsio, nervorum aliquorum resolutio, mentis imbecillitas, confusio, delirium.

LIII. Ut potestatum communium sive nimis, sive iuste, sive parum incitantium opus aliquantulo magis in partem aliquam, quam aliam, quamvis (XLIX. ad LIII.) dirigitur; ita id eiusdem in illa parte, ac in reliquis generis sit, pariterque ac commune aut superet, aut conveniat, aut deficiat, sed nunquam ei contrarium opponatur necesse est. Nam, cum eaedem potestates incitantes, eadem ubique incitabilitas sint, id est, eadem universa causa; idem quoque effectus, non esse non potest. Non igitur unquam in parte incitatio sub imminuta communi augetur, aut hac aucta imminuitur. Nulla hic nisi magnitudinis differentia est; nec ex una causa diversi effectus esse possunt.

LIV. Nullus igitur adfectus communis (V. VI.) in parte sedet, omnes totum corpus occupant, quia c... inaequalitate (XLIX. ad LV.) relata in omnibu universa incitabilitas adficitur.

LV. Nec partis magis laborantis (XLIX.) ad LV.) adfectus primus est, dein per reliquum corpus dividitur; quoniam cum primum adfecta ubivis incitabilitas est, ubique quoque protinus, propterea quod una & indivisa est (CXLVII.) adficitur.

Utramque rem (LIV. LV.) confirmat cuiusvis potestatis incitantis opus non aeque cito omnia corpo-

ris, ac partem quamlibet commovens; confirmant adfectus morbosi communes, aeque mature toto corpore, ac ulla in parte, & plerumque prius prodeuntes.

LVI. Omnis loco contentus quantumvis formidabilis in morbis communibus adfectus, adhaerentis toto corpori mali pars tantum habendus, & non in locum, sed corpus latius auxilia dirigenda (L.).

CAP V.

De Contractione, et Effectibus eius.

LVII. Se contrahendi, qua fibrae musculares praeditae sunt, facultas integra & valida, quemadmodum ab incitatione pendet (XV.), ita huius respondet magnitudini. Hoc omnia secundae adversaeque valetudinis, omnia potestatum incitantium & auxiliorum opera firmant. Vis & facilitas motus eadem est. Ex rebus certis, non adparentibus, iudicandum. Ergo tremor, convulsio, & quaecumque sub hac adfectio comprehenditur, ad debilitatem causam reiicienda (LII.). Noxa hic excitans parti asperior solito stimulus est.

LVIII. Non excipienda contractionis spasmum facientis magnitudo. Qui diuturnior & manca actio, potius quam magna & iusta, est: Et quantum magna contractio est, a locali distentionis, aut alicuius rei hanc referentis, stimulo pendet, in imminuta incitatione consistit, robore destituitur, & stimulantibus tollitur auxiliis. En rem simul reique rationem.

LIX. Ut contractionis quantum sincera actio est, magnitudo sic (LVII. LVIII.) cum robore coniungitur; inde fibrarum contractricium, pro firmis simplicibus habitarum, densitas, contractionis sequi mensuram certa & comperta est.

LX. Incitatio igitur etiam densitatis causa fatenda. Quam densitatem hoc auctiorem usque incitatio praestat, quo ipsa maior sit. Idque a furibundo robore, & huic respondente densitate, ad eam quae in mortis articulo, in morte ipsa, postque hanc cernitur, debilitatem cum laxitate respondente, per omnes medios quasi gradus, facile est perceptu. Quod ita esse, earundem fibrarum mortuarum imbecillitas, vivarum robur, cuius differentiae solam causam incitationem esse constat, facile evincunt.

LXI. Hinc vasorum cava per totos illorum tractus ubique corporis sub robore decrescunt, sub infirmitate augescunt. Haec perspirationis imminutae causa.

CAP. VI.

Morborum et Opportunitatum Formae.

LXII. Incitatio, potestatum incitantium operis effectus, idonea prosperam, nimia aut deficiens adversam valetudinem, & ante ad hanc opportunitatem facit (XXIII.). Nulla alia corporis humani vivi, rite secusve valentis; morborum nulla alia origo. Nam valetudinis statum ab incitatione constitutum datumque, tam firmorum simplicium quam humorum status sequitur.

LXIII. Adfectus partium proprii, aut instrumentorum vitia ab hoc loco, ubi de communi corporis statu solo agitur (V VI.) alieni, in praesentia praetermittendi sunt.

LXIV. Incitationem sic omnem vitam regere (LXII. LXIII.) probant omnes potestates, semper stimulando (XIX) & sic incitando agentes (XIX); probant corporis actiones (XV. XV); probant auxilia, nimio stimulo deficientem, deficienti nimium in salute reducenda semper opponentia.

LXV. Quin alium sanum, alium morborum statum esse hoc porro refellitur, quod potestatum utrumque facientium aut depellentium idem opus est (LXII.)

LXVI. Nati immodica incitatione morbi communes phlogistici nominantur: Quos deficiens creat, antiphlogistici seu asthenici vocandi. Hinc duae morborum formae. In quam utramque opportunitas semper praecedit (VIII.).

LXVII. Relatam (LXII.) morborum & opportunitatum communium originem solam & veram esse arguunt eaedem potestates, quae quemvis morbum, opportunitatem quamvis faciunt, etiam totam ad quam pertinet formam utrinque facientes; eademque auxilia, quae cuivis morbo aut opportunitati medentur, omnibus quoque suae formae hinc inde medentia. Morbis & opportunitatibus oppositis (LXVI. LXVII.) media, & in neutram partem declinans, integra ex toto valetudo est.

LXVIII. Potestates incitantes, quae ad morbos phlogisticos (LXVI.) opportunitatem aut ipsos faciunt, phlogisticae vel proprie stimulatrices adpellandae: Ad asthenicos viam sternentes, vel ipsos facientes, asthe-

micae, antiphlogisticae, seu debilitatrices nuncupandae. Corporis status, illos aut in eos opportunitatem dans, diathesis phlogistica dicenda; hos cum propria iis opportunitate praestans, antiphlogistica seu asthenica nominanda. Utraque diathesis communis opportunitati cum morbo status est, magnitudine tantum varians. Potestates, utramque ad morbi modum attollentes, noxarum excitantium vocabulo distingue.

CAP VII.

Utriusque diatheseos ac ipsius secundissimae valetudinis effectus.

LXIX. Phlogisticarum noxarum in actionibus adficiendis effectus communis est, has prius augere, dein partim, sed nunquam debilitando imminuere, partim perturbare; asthenicarum (LXVIII.) easdem semper ita imminuere ut augendi quandoque, sed falsam speciem, praebeant.

LXX. Iusta incitatio perpetuò si servaretur, aeterna generi humano salus foret. Cui utique duplex res obstat. Nam ea diatheseos phlogisticae vis est, ut incitabilitatis unicuique vivere incipienti datam summam maturius iusto consumens, vitam interpositis saepe morbis contrahat, mortemque pro sui magnitudine serius aut citius adducat. Haec una mortalitatis causa. Rursus

LXXI. Asthenica nocet, incitationis id, quod saluti necessarium est non suppeditando, & sic vitae statum ad eum, in quo mors sita, propius accedere sinendo. Quod alteram lethi ianuam mortalibus

aperit. Sed & morbi morsque diathesium inter se commutationem sequuntur. Utravis diathesis per alterius noxas pro auxiliis supra modum adhibitas, in alteram sive casu, sive per hominum imprudentiam, sive consilio penitus verti potest; eoque facto, contrariis adhibitis auxiliis, eodem unde profecta est retro versa redire. Haec observatio tam in opportunitatum quam morborum curationibus, summi momenti invenietur. Ad quam illustrandam quod porro pertinet postea exponetur. Phlogisticae in asthenicam diathesin commutationem illustrat peripneumoniam excipiens hydrothorax, Rursus nimius stimulantium usus quemlibet asthenicum adfectum in phlogisticum, ut tussi violenia, catarrho, cynanche tonsillari, idoneam, sed nimiam, podagrae curationem consequentibus convertere.

LXXII. Ex omnibus quae hactenus relata sunt, vitam coactum statum esse, animantes omni temporis puncto in interitum niti, ab hoc alienis potestatibus aegre ac paullisper tantum arceri, dein fati necessitate morti concedere, constat. Hinc primae hominis maledictionis facilis explicatio, " Quo die comederis, eo profecto morieris. " Scillicet absque assidua cura, absque labore, & vultus sudore, potestatibus incitantibus non, aut male, adhibitis, mors in procinctu adstabit sui negligentem ilicet exceptura.

CAP VIII.

De Opportunitate.

LXXIII. Opportunitas (VIII.) est secundae ab omni parte valetudini & adversae medius status. Quam facientes potestates eaedem, quae morbos, sunt, leviore vel breviore impetu agentes. Utraeque quo commodius a potestatibus omni vitae statui communibus distinguantur, excitantes noxae dicendae.

LXXIV. Quae quo validius aut imbecillius egerint, eò brevior aut longior opportunitas erit, & a secunda valetudine ad iustum morbum temporis intervallum citius aut serius exigetur.

LXXV. Opportunitatem communibus morbis necessario praecedere (VI.) eo manifestum est, quod iisdem potestatibus incitantibus, in eandem incitabilitatem agentibus, quibus tam secunda quam adversa valetudo, illa quoque nascitur, & medius huic utrique incitationis status est. Cumque multum secundae valetudinis incitatio a morbosa differat, non igitur ad hanc illa protinus ascendere, & opportunitatis transilire fines, putanda. Quod etiam certum & compertum. Nemo ab omni parte valens communi morbo illico implicatur.

LXXVI. Morbi contagiosi hac observatione non excipiuntur; quia sive stimulando, sive debilitando, materia contagionis agit, idem eius quod communium noxarum opus, scilicet eadem causa subest; quam causam idem quoque effectus non consequi non potest. Quoniam igitur morbi communes contagionis

pariter, & noxarum solitarum vim sequuntur, neutri in ulla cuiuslibet momenti re, & sola utrique magnitudine differunt. Magnitudinis autem in vehemente contagione solus effectus est opportunitatis tempus maturare, in leniore producere, in leniore etiam, maxime noxis communibus quoque prohibitis, nullum morbum communem trahere. Contagiosorum historia morborum hoc liquido firmat. Contra si, quod aliquando usu venit, admotam contagionem nullus adfectus communis, nulla praeter debitum incitationis abundantia vel defectus sequatur, id vitium prorsus locale est ab hoc loco alienum.

LXXVII. Si non opportunos venena quolibet impliceant morbo; is ob idipsum pro communi non habendus; & hoc praeterea, quod solita communium curatione neque tollitur, neque sublevatur (VI.), causamque pariter & noxam excitantem, a communibus diversam esse, diversus effectus arguit. Sola plerorumque venenorum curatio ipsorum matura reiectio est. Quod si alia, instrumentum actionibus corporis necessarium vulnerando, non medicabilia, sed exitio sunt; utrorumque effectus a praesente re alienus est, ad adfectus locales reiiciendus.

LXXVIII. Nihil in noxis sive morbos facere periclitantibus, sive facientibus, praeter illarum cum his, aut singularum inter se comparatarum magnitudinem, spectandum; eo consilio, ut quantum quaeque ad nocendum possint, quantum auxiliorum noxae demendae causa utendum sit, cernatur.

LXXIX. Opportunitatis scientia magni momenti est. Quippe qua sola instructus, morbis occurrere, horum causam in illa fundatam comprehendere, &

a localibus (V. VII.), longe aliis adfectibus, discernere medens possit.

LXXX. Quoniam ad morbos communes opportunitas, ipsique hi idem status sunt (LXXV.) magnum, quo communes a localibus distinguantur, discrimen erit, quod communibus perpetuo, localibus nunquam opportunitas antecedit (VI.).

LXXXI. Cum partis adfectio semper localium morborum origo sit, & discrimina relata (VI. VII LXXV. ad LXXX.) constent; reiiciendi igitur ex communi morborum numero sunt, quantumvis horum simulatores, sui dissimulatores, quotquot morbi a quovis loci statu, a stimulis, a rebus debilitantibus, quorum neutra totum corpus movent, a vulneribus, a loci compressione, occlusione, a propriis instrumentorum vitiis, ab aliis morbis, & non communibus noxis excitantibus (XV. LXXIII. LXXVIII.) exoriuntur; propterea quod noxis excitantibus, caussa, curatione, & omnibus rebus ab illis differunt, nec ulla re iis, nisi fallace & fallente specie, congruunt.

CAP. IX.

Diagnosis Communis.

LXXXII. Morborum communium vehementia & periculum, pro incitationis nimiae, eventuve aut recta deficientis magnitudine est; quod omnia supra relata declarant, eoque potissimum inter se, variante hac incitationis magnitudine, variant.

LXXXIII. Sola cuiusquam momenti diagnosis ea est, qua communes a localibus (IV. V. VI LXXVI.), aut symptomaticis adfectibus, totum corpus cum quadam communium similitudine perturbantibus, dignoscantur. Quo certius hoc fiat, communis quisque adfectus, praecedente diathesi, consequente ei simili, & auxiliorum opere, ei quod nocuit contrario patefit; dum e contrario locale malum, partis primum adfectu, inde corporis perturbatione repetenda, & morbi, quem refert, propria diathesi non aut casu tantum comitante distinguitur.

LXXXIV. Utilem hanc scientiam quo certius consequare, anatomes necessaria didisceris, in supervacuis tempus ne triveris, illustris Morgagnii opera verses, cadavera incidas, effectus superstites a caussis praeteritis dignoscas, laqueo, vulnere, peremptorum, alias sanorum, corpora diligenter quam plurima rimeris; haec cum eorum qui longiore aut saepius iterato morbo perirent, corporibus sedulo compares, singula cum singulis, omnia cum omnibus conferas, opinandi temeritatem primus fere caveas, nunquam illic communis morbi originem (V. VI.) detecturum te speres, prudenter iudices.

LXXXV. Cum adfectus locales interiores, saepe labes quaedam, communibus morbis superstes sint; ideo illos quo rarius hi saepiusve antecesserint, eo minus magisve suspiciendos, ad recte iudicandum pertinet.

CAP. X.

Eventus Iudicium.

LXXXVI. Quoniam potestates utramvis diathesin phlogisticam aut asthenicam facientes (LXII.-IX.), semper in aliquem locum paullo gravius agunt (XLIX.); ideo in opportunitate morbi in morbo mortis periculum pro diatheseos magnitudine, aut loci magis laborantis utilitate suboritur. Sed magnitudine data diathesis, quam maxime aequalis, tutior. Quae nunquam necessarium vitae instrumentum, nisi instante periculo, paullo gravius urget. Hinc maxime peripneumonia, apoplexia, pleuritis, eresypelas, podagra, ubi hoc utrumque gravius caput adficit formidini.

LXXXVII. A cummunibus morbis locales cum symptomatis segregandi, & supra (LXXXIII.-V.) monita huc transferenda.

CAP. XI.

De medendi ratione communi.

LXXXVIII. Diathesi phlogisticae medendae consilium imminuere, asthenicae augere incitationem est, eo usque dum id huius quod iis extremis medium bonae valetudini convenit, reponatur. Nullum aliud medendi consilium communes morbi recipiunt.

LXXXIX. Ut utraque diathesis ab eodem noxarum,

excitantium opere (LXIV.-V.) tantum magnitudine vario nanciscitur; sic eadem quoque auxiliorum actione, ei qui nocuit contraria magnitudine, utraque pariter prohibetur & tollitur. Ut certo omnium rerum indicio causa, sic & curandi ratio confirmatur. Eadem quae quemvis unum phlogisticum morbum debilitantia, omnes solvunt, eadem, quae quamvis asthenicum stimulantia, reliquos omnes tollunt. An paralysis, quantum medicabilis est, hydrops, quantum communis adfectus, item podagra & febres non iisdem auxiliis tam sublevantur, quam tolluntur? Et an peripneumonia, variola, rubeola, rheumatismus & catarrhus non iisdem remediis cedunt? Quae omnia in asthenico casu adaugent, in phlogistico imminuunt vitae vim. Commune utrimque opus, nec nisi vocabulorum, non rerum diversitas est.

XC. Auxilia igitur diatheseos phlogisticae sunt potestates (X.-I. II. III.) debiliore, quam qui secundae valetudini (LXIX.) conveniat, stimulo incitantes; debilitantia compendii causa in curatione dicendae.

XCI. Diatheseos asthenicae auxilia sunt potestates (XC.) validius, quam ut optimae valetudini congruant (LXIX.) incitantes; stimulantia quo commodius ab alteris distinguantur, in medendi usu nominandae.

XCII. Haec (XC.-I.) eo liberius, parciusve, quo magis aut minus diathesis & inde pendens loci adfectus (LXXXVI.) vigeant adhibenda. Nec singulorum ita dilectus, ut potentius quodque vehementiori cuique malo accommodetur, non habendus. Sed nunquam cuilibet uni tota gravioris morbi, & vis cuiusvis cura-

tio credenda. Denique eadem nunquam in quemvis unum prae caeteris locum, tanquam is morbi sedes esset (XLVII.-VIII. LIV.), inani & saepe nocitura spe dirigenda. Plura uni hoc praestant, quod sic latius corpori recta incumbit vis, & incitabilitas plenius & aequalius adficitur (XLVIII. LV.). Quique in locum remedia dirigit idem agit, quod iis qui, virgula recisa, succidere arborem speret. Quae remedia communia, quae localia sint, post, suo quaeque loco, memorabuntur.

XCIII. Si quod symptoma cum aliis certae notae & cognitae naturae plerumque in morbis coniungitur, de eo alias sive solo adparente, sive contrariae ut videatur sgnificationis concursum comitante, non ex concursu, sed de hoc ex eo in curatione indicandum, & respondentia remedia tractanda. Sic certa eius natura, incerta concursu praecipit. Contrarius usus, teste sanguinis in convulsionibus & spasmis detractione, & opii in crudis vulneribus administratione, nocet.

XCIV. Idem hoc praeceptum parvam sanguinis sive largius, sive parcius, sive saepius, sive rarius in omnibus morbis, quorum dyspepsia ullo modo signum sit, detrahendi, & cibi ex plantarum genere inculcandi notat consuetudinem. „ Ut qui acidum eructant, ii pleuritidi non opportuni sunt “, id est, qui signum habent formae morborum antiphlogisticae, ii contrariae formae morbis implicari nequeunt: Sic aeque verum contrarium, qui pleuritide laborant phlogisticae formae propria, ii in nullum antiphlogisticae formae morbum, id est, auxiliorum stimulantium indignum incidere possunt.

XCV. Quoniam omnis morbus communis, opportunitas omnis in aucta vel imminuta incitatione (XXIII. LXII.) consistit, versaque hac in contrarium statum solvitur (LXXXVIII.); ideo ad occurrendum pariter & medendum morbis semper proposito consilio (LXXXVIII.) utendum, stimulandum aut debilitandum, nunquam quiescendum, nec naturae quae sine externis rebus (X. ad XIV.) nullae sunt, viribus fidendum.

XCVI. In medendi consilio sola materiae morbificae ratio habenda est, ut tempus quo exeat corpore detur. Quae sive noxarum excitantium more (LXIX.) alias stimulando alias debilitando, seu sui morbi propriam formam dando, & sic communi morbo localem adfectum (LXXVII.) adiiciendo agit, in utravis re nullus novi consilii locus est.

XCVII. Si enim morbus ut communis rite administretur, omnis eruptio, quae hanc sequuntur, omnis inflammationis, omnis exulcerationis species, communis curationis felicitatem sequuntur, & ubi ex illa mala contrarius eventus est, localia pro ratione symptomata exasperantur. Hoc variola iamdudum, hoc rubeola nuper, sed nihilo tamen incertius, hoc pestis, quoties paullo peritius, & idoneis genere & mensura auxiliis tractata est, hoc cynanche gangraenosa, & alii Typhi cum simili partis vitio declarant. In his duabus periculum vitae semper e communis adfectus magnitudine est; nec sine hac localis formidini esse debet. Adeoque idem de prioribus verum est, ut quamvis admota materia est, nullus tamen sine noxis communibus praeeuntibus morbus iustus communis sequatur, pro earum vehementia pericu-

riculum crescat, & tota e communibus auxiliis curatio pendeat. Quae res sive ullam materiam sive contagiosam, sive aliam, ad communis, quem comitatur aut insignit, morbi causam conferre, aut si quid conferat, a solitis noxis non differre demonstrant (XCVI. ad CXVIII.).

XCVIII. Ut superante pariter & deficiente incitatione in morborum periculo imminuitur, in ipsis supprimitur sana perspiratio, quod iam submonstratum, fusius postmodo exponetur; ita ea, quo certius omnis nocens materia corpore demittatur, accurate expedienda, expedita servanda. Sed ne hoc quidem novum consilium submonet; quoniam sola illud facientia ea sunt quae diathesin utramque pro sui quaeque operis vi alias solvere solent, & quae non localiter sunt sed communiter opifera.

XCIX. Cum aliquis qui superiore vitae tempore lautius vixerat, iam aetate provectus sive consilio, sive coacta de solita vivendi indulgentia haud paulum remisit, & aliquam humorum copiae cum vigore speciem retinet; non ideo, ut vulgo fieri solet, plethora & vigore nimio laborare protinus censendus; sed contra, nisi recens huius causa quod fieri potest pateat, directa debilitate (XXVIII.-IX.) eoque magis si noxis nimis ante roborantibus, quorum in numero replentia sunt, recta debilitantes successerint, premi iudicandus (XLVII.). Et non debilitans seu antiphlogistica curatio, quae rectam, nec nimis phlogistica, quae praecipuam causae partem indirectam, debilitatem eoque mali vim augerent, adhibenda, sed media via, quae tonica dici solet, insistenda.

C. Quoniam morbi sub quo, ne verba plura in-

sto fiant, etiam opportunitas comprehenditur, magnitudini opis aptanda magnitudo est (XCII.); igitur aetas, sexus, habitus, constitutio, coelum, solum denique omnium potestatum incitantium, omnium noxarum, sive bene ante, sive male admninis'rata sint, auxiliorum opera, in medendi consilio pensi habenda sunt.

CI. Mulieres male repletos, male stimulatos, teneriora firma habentes, refrigerari, humectari, sive superne, sive inferne, sive aliunde consuetos, omnes denique tam e noxis, quam e curationis genere, nullo praecedente vigore, languentes, recte debilitas incessit.

CII. Contra senibus, viris, nimis repletis, stimulatis nimis, tantoque magis quanto diutius id factum sit, plenos & vegetos ante habitus habentibus; item sive cum humore, sive sine hoc, sive undeunde supra modum calefactis, uno verbo omnibus cum e solitis offensis, tum ex inidoneis medendi rationibus, ubi pristinus iam in languorem vigor versus est, indirecta debilitas dominatur.

CIII. In indirectae debilitatis curatione, quaecunque eius magnitudo sit, quocunque nimii stimuli genere orta sit; stimuli, qui pro auxilio potissimum utendus est, non multo minus eo qui morbum fecerit primum adhibendum, dein minus minusque, donec morbus solvatur (XXXII. - III. - IV. ; addendum.

CIV. Ubi status morbosus ab unius stimuli excessu proficiscitur, ut id quod dictum (CIII.) faciendum; ita pluribus stimulis natum malum plurium usu, sed eadem prorsus ratione tractandum;

uo in utroque casu ab excessu nocente ad naturae modum descendatur (XXXI. - IV.); nisi quod etiam reducta salute plus iusto per consuetudinem stimulatis indulgentia quaedam, aliquamdiu concedenda est.

CV. Cuiuslibet stimuli nocens effectus simili alio prius convellendus, dein ad huic similem transeundum, semperque a violentis, diffusibilibus magis, quos natura sana respuit, ad mitiores, diuturniores & naturae convenientiores, donec consuetis praesidiis servari salus possit, transgrediendum.

CVI. In indirecta debilitate debilitans curatio ad vigorem restituendum vitanda est (XLVI.); utpote cum nullum debilitatis genus altera debilitate, nec quivis eius quasi gradus altero gradu medendus sit. Soli cursui igitur ad indirectam debilitatem recta debilitantia, ad vigorem, extingui periclitantem, firmandum, conveniunt; cuiusmodi frigida lavatio, ciborum mediocritas, imbecilla potio, & similis aliorum stimulorum remissio sunt (XXXVII.).

CVII. Ad rectam debilitatem medendam, a minimo stimuli primum incipiendum, dein ad plus usque donec vitiosa incitabilitatis ubundantia paullatim deteratur, & tandem salus reducatur, adscendendum (XLIII.).

CVIII. Quantum unius stimuli defectu asthenicum malum nascitur, unius quoque & eiusdem abundantia debita solvendum pluribus deficientibus exortus morbus, iis omnibus debita copia subministratis tollendus; ut in utroque casu a defectu morboso ad salutarem naturae modo perveniatur.

CIX. In hac quoque curationis parte, omni sive recta, sive indirecta debilitate abstinendum est, id-

que cum ob causam (CVI.) relatam; tum quod stimulatrix, quae sola hic idonea est, curatio, quoties ultra modum tenditur, asthenicam in phlogisticam diathesin, hanc in indirectam debilitatem, hanc in mortem vertit. Igitur ut hinc supra relata recta debilitantia (CVI.) vitanda sunt, ita illinc morbi modo curationis vim adcommodandam (XLIV.), non est obliviscendum. Sitim, quam debilitas causa continet, frigida potui data adauget, in nauseam & vomitum rapit, vinum merax aut potio spirituosa restinguit, subsecuturas alias turbas prohibet. Sitim, cuius phlogistica causa est, potio merax intentat, & easdem quas aqua in altera turbas fere concitat, frigida sedat, futuro tumultui occurrit.

CX. Quoniam igitur eaedem potestates omnia vitae (XV. XXII.) creant, & nunc nimiam hanc, nunc iustam, nunc deficientem pro variante sua magnitudine pariunt (XXIII.); idemque de iisdem potestatibus, quando pro morborum auxiliis adhibentur, dicendum; nunquam igitur, utramvis diathesin in alteram per imprudentiam vertendam, perpetuum esto praeceptum.

PARS ALTERA.

CAP I.

De noxis utramque diathesin plogisticam et asthenicam facientibus.

CXI. Potestates corporis statum, quo ad morbos phlogisticos aut asthenicos opportunitates ipsive continentur, scilicet diathesin phlogisticam & asthenicam creantes, sunt eae de quibus supra memoratum (X. - I. II.) est.

Noxae utramque facientes.

CXII. Calor animalibus & plantis nascentibus, crescentibus, & vigentibus, item elementorum formae necessarius, ex summo cui adiicitur corpore animato, hoc universum, ut & plantas, recta, nisi aut deficiens, quod frigus dicitur, aut ad extremum nimius stimulat. Qui stimulus mediocris iuste, maior id ita facit, ut diatheseos phlogisticae plus minusve inferat.

CXIII. Quod eiusdem actio paulo magis in cute quam intus, ubi immutabilis fere temperies permanet, intenditur; ideo illic, quam hic paulo magis stimulat (XLVIII.-IX.) Idem fibrarum ubique muscularium tonum, eoque densitatem (LVIII.) ampli-

ficat. Unde ut vasorum omnium diametri imminuuntur, ita extremorum ubique, magisque in cute, ubi maior causae vis, ex toto saepe delentur. Sed iusta suppressio ab opportunitate aliena, sola diathesi ad morbi modum aucta, nascitur.

CXIV. Hinc in rubeola & variola materia irritans una cum perspirabili retinetur, quibus, & omnibus aliis phlogisticis malis perspiratio supprimitur, incitatio tam in summo, quam reliquo corpore intenditur, & catarrhus potissimum inducitur.

CXV. Calor ad extremum nimius, sive diuturnitate, sive intensitate sic noceat, perpetuo debilitat, tonum ubique minuendo, & pro densitate laxitatem creando. Qui effectus in cute, cui recta caloris vis incumbit, quam intus, ubi temperies parum mutatur, paulo plus valet. Hinc, ut in plagis ardentibus, sudor; hinc omnium vasorum, ac prae caeteris perspiratoriorum amplificantur diametri. Hinc colliquans in febribus sudor, & consimilis alvus. Hinc humorum, & non ex horum per corrumpentia recta creato statu corruptio.

CXVI. Idem rubeola vehemente, in variola confluente, in febribus & omni asthenicorum malorum genere, ubi perspiratio deficit; non hunc defectum, vasa quamvis patefaciat, imminuit, sed cordis & arteriarum actionem debilitando intendit.

CXVII. Frigus (XI.) animalibus, plantis, & elementis inimicum, reliqua corporis, magisque summum, cuius solius fere temperiem imminuit, recta semper, semper pro magnitudine debilitat. Hinc pariter, ac a nimio calore, vasorum atonia & laxitas, gangraena, & reliqua nimii caloris effecta (CI.).

CXVIII. Haec temperiei extremorum (CI-III.) effecta ex debilitando, non putrefaciendo, ex incitationis non humorum adfectu nasci, hoc patet, quod aliae noxae debilitatrices, quae movere recto opere humores neque creditae sunt, neque credi possunt, tam corruptionis symptomata, quam reliqua omnia creant, & eadem stimulantia quae haec, illa quoque tollunt. Quin & antiseptica credita vel eo prorsus opere carent, vel neque dantur, neque dari possunt ea copia, qua ad humorum mixturam movendam pertineant. Denique rerum inanimatarum inter se effectus nunquam recte ad corpora viventia transferuntur. Licet igitur humores haud raro corrumpantur, ea semper corruptio est debilium vasorum non satis illos permiscentium seu diffundentium, effectus, nunquam ipsa causae origo.

CXIX. Ingratus cum frigoris, tum nimii ad extremum caloris sensus, stimulantis quoque operis, quae quantum grata est stimulando iuvat, summam minuendo nocet.

CXX. Cum adeo sua natura frigus debilitet (CIII.), & omnia debilitantia incitationem imminuant, nunquam igitur morbis, nisi phlogisticis, iisque qui in cursu ad indirectam debilitatem sunt (XXXVII.), opiferum est; propterea quod nunquam iam nimis abundans incitabilitas abundantior, sine morbi exasperatione redditur; utpote quae eo stimuli minus, quo abundatior sit, recipiat (XXVI.). In mediocri debilitate error minus manifestus; in magna utriusvis generis debilitate, magni mali, vel ipsius adeo mortis periculum, e minimo debilitatis augmine, esse potest (XLVI.).

CXXI. Quoniam vivas fibras frigus (CIII.) pariter, ac calor nimius (CI.), relaxat; quod in variolae & omnis morbi phlogistici curatione cernitur, non igitur quemadmodum inanimem materiam, vivam quoque constringere putandum. Minuta frigore cutis moles e vasorum debilitate, humores huc parum percitante, vascula parum replente nascitur. Hac ratione (CIII. ad CVIII.) frigus diathesin asthenicam procreat.

CXXII. Cum autem, quo plus stimulantis operis admotum sit, eo minus usque incitationis exoriatur, donec nihil amplius accedat (XXXIV.), frigus pariter, ac quodvis recta debilitans, incitabilitatis consumptionem sistendo, &, ut facilius stimulis moveatur corpus, efficiendo, ad indirectam proclivitati debilitatem ipsique huic obstando, pro variante ipsius magnitudine, secundam valetudinem, & omnes diatheseos phlogisticae partes, habile concitando est. Quod utique solum, caloris & aliorum stimulorum indirectam debilitatem accelerantium impetum cohibendo, & intra vigoris fines continendo efficit. Hinc in regionibus frigidis, defensi veste, domo, igne, motu suo, corporis animati vigor. Hinc etiam partium, calore nimio resolutarum, admoto frigore, contractio (XL.). Hinc denique humorum corruptorum, roboratis vasis, non correctis illis, remedium. Hic frigoris effectus in cute, quae sola fere (XVII.) refrigeratur, aliquanto maior quam intus est.

CXXIII. Debilitans temperiei (CI.-III.) effectus ita humore augetur, ut hic propriam eius noxam augeat.

CXXIV. Ex victus partibus solus cibus, stimulare nimis periclitans, caro est, & ex hac parata materia, largius assumpta. Salsa nimis durataque, maxime ubi iam corrumpi coepit, excipienda. Hinc ventriculus maxime patitur.

CXXV. Eodem (CXXIV.) condimenta pertinent; quorum exiguum aliquid ob stimuli vehementiam sufficit.

CXXVI. Potio spirituosa vel vinosa, in qua semper alkohol diluitur, cibo condito (CXXIV. - V.) citius & facilius, & pro alkaholis copia stimulat.

CXXVII. Harum omnium victus partium diffusibilis stimulus, ideo rectus dicendus, quod in partis, cui imcumbit, incitabilitatem recta & protinus dirigitur. Eundem saltem qua cibum respicit, adiuvat alius, ex fibrarum muscularium distentione pendens, eoque indirectus nominandus. Hunc carneae materiae, & e plantis sumptae sola moles praebet.

CXXVIII. Omnis cibus e plantarum genere sumptus, item carneus parcior, salsa nimis durataque caro, alimento meliore remoto, nunquam non debilitat, & sic asthenicam creat per omnes gradus diathesin. Hinc Indorum, Brahmanianos ritus colentium, mentis pariter & corporis debilitas insignis. Hinc pauperum ubique morbi. Hinc scrofula, febres, & tota malorum asthenicorum caterva. Recta ex hac noxa debilitas ventriculum paulo magis, quavis alia pari parte, premit. Hinc anorexia, nausea, vomitus, praeceps alvus, & consimiles primarum viarum turbae.

CXXIX. Condimentorum, quae sine carnea materia non satis ad robur sunt (CX.), quoque nega-

tus usus etiam magis, iisdem Indis testibus (CXIV.) infirmat.

CXXX. Potio valida (CXXVI.) modo relata, nunquam iunioribus, & validioribus, propterea quod ad indirectam praeceps debilitatem ruit (XXVII. XXX.), necessaria, ac ne tuta quidem est. Cui utique adsuetis, aetate provectioribus, & aeque inde, aut aliunde, imbecillis, aquosa nullave omnino, ad diathesin asthenicam creandam plurimum valet.

CXXXI. Stimulo porro est, a carnea materia ortus, chylus & sanguis abundans. Hoc incitatio ubique, & prae reliquis locis paribus, in vasis sanguiferis, eo magis, quo is abundantior sit, intenditur (LI.). Genus sanguinis nihil, saltem ut causa, & sola abundantia valet. Quae musculares vasorum fibras distendendo constante impetu agit. Pervulgata plethora soli diathesi phlogisticae convenit, & huius magnitudini respondet.

CXXXII. Idem hic effectus (CXXXI.) velocitate sanguinis, aliunde orta, & maxime illo corporis quem ipsius musculis peragunt motu, sanguinem, compressis venis, celerius ad cor reducente crescit.

CXXXIII. Nihil hoc utroque stimulo (CXXXI.-III.) ad diathesin phlogisticam & morbos in hac positos concitandos, efficacius. Qui tanto magis ingravescunt, quanto abundantior sanguis sit, & rapidiore impetu percitetur, Hoc omnes noxae excitantes, omnia istorum morborum signa, maximeque arteriarum pulsus, hoc sanguinis detractio, alvi purgatio, & inedia, ad salutem adeo efficacia declarant.

CXXXIV. Ut sanguinis abundantia & velocitas sic (CXXXIII.) praecipua phlogisticae diatheseos cau-

sa est; ita ad asthenicam creandam, nihil penuria sanguinis, quam summa celeritas comitatur, potentius est. Hinc pulsuum exiguitas, debilitas & celeritas. Hinc incitatio ubique, & prae reliquis locis paribus toto vasorum genere, eo magis quo maior penuria sit, imminuitur. Hic quoque non genus sanguinis, sed sola penuria in causa est. Ea musculares vasorum fibras parum distendendo, supra relatas pulsuum notas non satis vasa incitando efficit. Plethora, quae huc solum pertinere iudicata est, hinc prorsus abest (CXXXI.).

CXXXV. Haec praecipua asthenicorum morborum origo. Quod omnis humorum detractio, maximeque sanguinis, item alvi purgatio tantopere nocentia; & stimulantia prius, dein omne repletionis genus, tantopere salutaria confirmant.

CXXXVI. Secreti a sanguine humores, & alius aliter, sua vascula distendendo etiam stimulare intelliguntur. Ad quam rem lac & semen suis utrumque vasis abundans, item humor perspirabilis maxime valent. Instrumenti secernentis commotio per incitabilitatem, quae una & indivisa ubique subest (XLVII.-VIII.), facile toto corpore diffusa, quoties iusto maior est, coniunctis aliis nimis incitantibus potestatibus, diathesi phlogisticae accendendae est.

CXXXVII. Iidem humores (CXXXVI.) sua vascula parum distendendo, parum excitando, noxarum, diathesin asthenicam creantium, haud omittenda pars, sunt. Hinc vasculorum languor, humorum pigrities, quies, stagnatio, corruptio. Imminuta, vel pro tempore in hoc corporis minime angusto spatio deleta incitatio, per eandem incitabilitatem

cum reliquo corpore debilitatem communicat, & coniuncto cum caeteris noxis parum incitantibus opere, asthenicam diathesin infert.

CXXXVIII. Cogitatio in cerebrum, cui recta admovetur, magis, minus in reliquarum partium quamque agens (XLVII. - VIII. - IX.), incitationem toto corpore intendit. Eiusdem contentio, sive magna semel incidens, sive minor, saepius iterata vel in consuetudinem deducta, sola noxae alicui esse; cum aliis noxis stimuli quoque magnitudine offendentibus coniuncta, maiori fieri; & diathesi phlogisticae faciendae par evadere potest.

CXXXIX. Manifesta asthenicae diatheseos causa est mentis is status, ubi nimia cogitatio, consumpta incitabilitate, in indirectam debilitatem desinit; vel deficiens, imbecilla, gratum, vividum tenorem servare nequiens, recta debilitando nocet. Quod mentis vitium plurimum ad debilitandum pertinet.

CXL. Adfectuum animi vehementia, puta irarum moles, dolor acerbus, moderaminis expers gaudium, quae eo magnitudinis non procedunt, qua incitabilitatem exhauriant (XXVIII. XXX.), eodem pertinet, quo cogitatio, easdemque rationes recipit.

CXLI. Adfectuum vis eo magnitudinis procedens, ut incitabilitatem (CXL.) exhauriat, eam diathesin asthenicam, quam indirecta debilitas causa continet, & consimiles morbos, infert. Hinc epilepsia, hinc apoplexia, nec raro quoties summopere in adfectus animus concitatus est, lethalis.

CXLII. Contra ubi idem (CXLI.) deficiunt, ut in tristitia, animi dolore, metu, terrore, desperatione fieri solet, qui tantum laetitiae, fiduciae, spei

minores quasi gradus sunt, & adfectuum excitantium tantum imminutionem, non contrarios his, & absolutos animi motus significant, ad asthenicam, quae in recta debilitate posita est, diathesin creandam pertinent. Hinc nullum cibi desiderium, eiusdem fastidium, nausea, vomitus, ventriculi dolor, fusa sine dolore, cum dolore, alvus, &, praeter dyspesiam & colicam, podagra, febres protinus suboriuntur.

CXLIII. Sensus cum grati sunt summopere totum corpus excitant, motusque cient, qui, ut inter bibendum, saltandum, in gratis conviviis stricta lancium, convivarum, & omnium circum circa, splendore oculorum acie facile cum supra relatis noxis ad diathesin phlogisticam accendendam, operam conferunt.

CXLIV. Eorundem, cum nimii sunt, vis, relatos (CXLIII. effectus longius producens, indirectam parit debilitatem. Contra, ubi sensus aut partim delentur, partim obscurantur, aut ingratis rebus contristantur, animus deiicitur, & totum corpus relanguens rectam subit debilitatem. Et in utraque re, praesertim ubi caeterae noxae debilitatrices concurrunt, adithesis asthenica suboritur.

CXLV. Aëris, demptis eius qualitatibus, ut aiunt, & proprietatibus, item in spiritu tuendo facultate, observationi minus patet effectus. Verum, quin ad vitam sustinendam, admotus universo corpori, necessarius stimulus sit, ambigi non potest. Idem raro purus admovetur, plerumque alienis, & stimulis vim minuentibus, rebus permiscetur. Utque in puritate eius salutaris stimulus positus est; ita eone unquam puritas procedat, ut nimis stimulet, & diathesin

phlogisticam accendat, incertum est. Machinae, nuper inventae, quibus supra nubes homines evehuntur, si frigus abesset ad hanc rem illustrandam optime pertinerent. Verum, quoniam in aëre nunquam purissimo, & commode tamen satis vivitur, credibile igitur est aërem iusto puriorem, ad nimis stimulandum, eoque diathesin phlogisticam creandam pertinere.

CXLVI. Sed cum aëris impuritate nihil consuetis sit, & omnis impuritas stimulum eius imminuat, perquam impurum, seu alienis rebus commixtum aërem, recta debilitare & asthenicam diathesin creare, neutiquam dubitandum est. Sic typhi, ut ex eorum, qui in nigro Calcuttae carcere perire, fato patet, frequens causa, aër impurus est. An unquam nimia puritate indirectam debilitatem inferat, eo magis incertum est, quod, ut supra dictum, phlogisticam faciat diathesin, necne, nondum constat (CXLV.).

CXLVII. Ex harum omnium potestatum (CXI. ad CXLVII.) raro separato, semper fere coniuncto opere, utraque, diathesis sive in opportunitate adhuc subsistens sive ad morbosi status modum adsurgens, nec ab ulla corpori insita vi (X.) subnascitur.

CAP. II.

Diatheseos utriusque causa.

CXLVIII. Sic exortae (CXLVII.) diatheseos phlo-

gisticae causa est, ex potestatum (CXI. ad CXLVII.) relatarum opere, iusto maior ubique vivi corporis incitatio; omnes actiones prius augens, dein aliquas perturbans, alias, sed nunquam, quamdiu subest, debilitando minuens. Eadem sola omnium phlogisticorum morborum origo.

CXLIX. Indidem (CXLVIII.) exortae diatheseos asthenicae causa est, ex asthenicis noxis (CXI. ad CXLVII.) iusto minor, ubique vivi corporis incitatio, omnes actiones imminuens, aliquas perturbans, quasdam augendi, sed semper falsam speciem praebens, semper debilitans.

CL. Utque phlogistica diathesis (CXLVIII.) semper debilitantibus, sic asthenica (XLIX.) semper roborantibus auxiliis tollenda est.

CAP. III.

Diathesis Phlogistica.

CLI. Ante perturbationem (CLI.), quae nisi post iusti morbi adventum nunquam, ac tum quoque tantum in graviore eius impetu accidit, sensus omnes acutiores, motus voluntati pariter, & non, obtemperantes, validiores, ingenii acumen maius, sensibilitatis & adfectuum vis cernuntur. Cor & arteriae harum pulsibus, extrema in summo corpore vascula colore, musculi omnes robore, secretiones internae lactis, seminis copia, instrumenta digerentia cibi desiderio, digestione, corporis vigore, & manifesta sanguinis abundantia vigere percipiuntur.

CLII. Quantum mentis & adfectuum facultates

augeantur, earum in hac diathesi, in prospera valetudine, in secunda morborum forma, & ad hanc opportunitate comparatio docebit. Sic augentur prius (CXLVIII.) actiones.

CAP IV.

Diathesis phlogistica symptomatis explicatis illustrata.

CLIII. Sensuum, metuum, mentis & adfectuum (CLI.) augmen, ab incitationis in unoquoque eorum instrumento, sanguinem inter alias actiones percitantis, augmine pendet.

CLIV. Omnium phlogisticorum morborum adventum horror insignit. Is ex imminuta per vigentem in extremis cutis vasis diathesin perspiratione (XCIX.) nascitur. Eadem frigoris, qui horrorem plerumque comitatur, sensus explicatio est.

CLV. In iisdem adfectibus pulsus validiores, duriores, pleniores, aliquanto sanis crebriores vibrantur. Plenitatem & duritiem creat cibus e carnea materia, uberius opportunitatis tempore sumptus. Vim & crebritatem idem, & quivis alius, ut potionis validae, ut exercitationis sive mentis, sive corporis stimulus efficit (CVII. ad CX.). Sed & omnes offensae sttimulatrices (CXI. ad CXLVII.) huius effectus participes sunt.

CLVI Quod si currente morbo, quandoque debiliores, molliores, inaniores & celeriores pulsus evadant, id malum est, eoque fit, quod vel ultra legem curatio

curatio debilitatrix tentata est, vel hac neglecta incitationis nimia vis iam debilitatis aliquantum intulit. Illa recta (XXXV.), haec indirecta (XLV.) debilitas est; utraque cavenda.

CLVII. In summi corporis vasculis colorem, qui pallorem prius adparentem saepe sequitur, & secretorum humorum abundantiam, sanguinis abundantia, per nimiam diathesin phlogisticam perspirationem cohibens, efficit. Eadem capitis & artuum passim doloris causa est. Cum enim is quoties caput adficit, adeo cito & facile sanguinis detractioni decedat; igitur raro ex inflammatione intus esse suspicandus est; eoque minus, quod in phlogisticis communibus morbis suboriens inflammatio semper exteriorem sedem, quantum ea res explorata est, occupat (CXIII.).

CLVIII. Delirium quoque, quod in vehementiore morbo quandoque subnascitur, non inflammationi imputandum est, & ob eandem causam (CLVII.) Nam adeo sanguinis & aliorum humorum detractioni cedit, ut nulla illam intus esse credendi causa sit. Sanguinis in vasis abundantiam, haec ultra modum distendentem, totius rei causam esse; hinc vultus rubor eam abundantiam significans, illinc sanguinis detractio, uno impetu morbum pellens, argumento sunt.

CLIX. Sitis & calor, quae insignes quoque in morbis phlogisticis notae sunt, a phlogistica in faucium & cutis extremis vasculis diathesi pendet, ita ea obturante, ut nondum perspiratio reddatur, sed sanguinem tamen ad penultimos vasculorum fines pertransire sinat, & corporis genitum calorem ob retentam adhuc perspirationem subter cuticulam cumulet.

Sic in faucibus vasorum finibus adfectis saliva & alii humores, quibus libere fluentibus fauces lubricantur, & eo siccitatis, qui sitis nominatur, sensu privantur, nunc cohibentur, cohibiti sitim pariunt.

CLX. Raucedo, tussis & sputa, quae quandoque in phlogisticis malis cernuntur, hoc fere ordine prodeunt, & inter se succedunt. Prima saepe raucedo est, dein tussis sicca, dein cum sputis. Raucedinis & siccae tussis origo est, exhalantium & mucosorum vasculorum, qui in bronchia terminantur, fines, adhuc vehemente diathesi occlusi, & suos, quibus bronchia & aspera arteria lubricentur, raucedo solvatur, & sputa libere succedant, humores parum traiicientes. Rursus haec libere reiiciuntur, quod imminuta iam diathesis, vasorum fines laxari, & humores affatim in bronchia trasfundi sinens, ut hi incitabilitatem per totum hoc instrumentum commoveant, & per convulsivum, qui tussis nuncupatur, motum, ipsi eiiciantur, efficit.

CLXI. Ut liberiora iam sputa diatheseos remissionem significant; ita iusto liberiora, iamque inveterantia, eam iam in asthenicam diathesin, vel per indirectam, ut cum morbus procedendo incitabilitatem multum exhausit, vel per rectam debilitatem, ut nimia iusta curatione ruere ostendunt.

CLXII. Haec eadem symptomata (CLXI.), dum citra rectam debilitatem subsistunt, vel in indirectam nondum mutantur, calor, & quicquid nimis stimulat, faciunt, frigus, & quicquid infirmat solvunt.

CLXIII. Pallor, item urinae claritas, & alvus adstricta, quae circa morbi principia praecipue incidunt

a diatheseos magnitudine vasorum fines ita claudente, ut aut nihil excernatur, aut tenuior tantum, ut in urina pars, emanet. Sitis, alvi, & perspirationis per deiectionem & madorem solutio, iam diathesin paulatim remittere, & morbum mitescere, & in eo iam esse promittit, ut supra, infra, perque sudorem, purgatione, adhibitis aliis antiphlogisticis auxiliis, penitus solvatur.

CLXIV. Saepe in phlogisticis malis, ubi paulo leniores sunt, cibi desiderium non multum imminuitur, saepius iusto plus quam ut prosit, adsumi potest. Sed nisi levissima ex plantis materia sola, eaque in potionis aquosae, vel fluente forma datur, omnis noxae erit.

CLXV. Verum, cum vel per cibi uberioris indulgentiam, vel curatione stimulatrice adhibita, vel quod ab initio morbus saevis offensis exortus, summam nactus vehementiam est; tum tam alia mala symptomata supra relata (CLVI. CLVIII.) recta, quam graves ventriculi turbae, acutusve alicubi thoracis dolor spiritum perturbans, erumpunt eventu.

CLXVI. In vehemente igitur diathesi ubi cibus parum, potio aquosa plurimum desideratur, haec omni ratione indulgenda est, ille, ut fastidium, nauseam, & vomitum movens, vitandus. Haec non diuturna, nisi iam eunte, versave in asthenicam modis supra (CLXI. CLXV.) relatis diathesi esse solent, sublatisque reliquis idonea curatione antiphlogistica symptomatis decedunt. Sed cum nausea & vomitus urgent, instant iamque etiam paulo pervicaciores esse, paulo diutius permanere incipiunt, eos adhuc tamen citra indirectam debilitatem esse scire licet;

& pulsus modicam celeritatem adhuc servant, nec multum de plenitate (CLV.), multum de vi remittunt; si vomitus arte motus morbosum, si alvi purgatio, minuunt, unoque verbo curatio antiphogistica respondet. Verum, commutatus prorsus morbus, causa in contrariam conversa, tum demum intelligetur; cum haec symptomata in dies augescunt, cum pulsus magis usque debilitantur, cum tormina in intestinis & deiectiones liquidae, ventriculi turbis superadduntur, & antiphlogistica curatio iam manifesto detrimento est.

CLXVII. Dum eadem symptomata citra indirectam debilitatem subsistunt; nimia in ventriculo, propter magnam eius sensibilitatem, & potentiorum stimulorum potissimum huc incumbentem vim, incitatio hic citius quam alibi versus indirectam debilitatem tendens, turbas concitat. Huc enim potentissimi stimuli, & ad diathesin phlogisticam accendendam in primis habiles, prius admoventur, & super incitabilitatem ibidem maiorem vim exercent. Cuiusmodi varii ex carne parati cibi (CXXV. ad CXXVIII) variae potiones merae (CXXVI.), varia illis addita condimenta (CXXV.), varii stimuli diffusibiles, ut opii formae, alkali volatile, camphora, moschus, aether sunt. Quae omnia huc ea vi, qua in nullam aliam parem partem (XLIX. ad LIII CLXVI.) incumbunt; non in intestina, nam prius concoctione prima mutantur, quam in horum initium duodenum transeant; non in vasa lactea, propterea quod diluta & porro concoctionis opere mutata, iis recipiuntur, recepta ad sanguinem perferuntur; non in cor & arterias ob eandem dilutionem, & perpetua in te-

to circuitu mixturae mutationem; non in arteriarum fines, exhalantes & glandulares, sive corruptam iam materiam corpore excernentes, sive utilem per vasa lymphatica ad sanguinem reducentes, idque tam ob causas relatas, quam propter magnam aliquam in exhalantibus, in glandulis, mutationem factam; non in vasa lymphatica, ubi ad veteres hic humores novus assidue per intercurrentes ramos, maximeque in ductu thoracico adfluit; non in reliqua vasa sanguifera, ob magnam ex iterato iam circuitu mutationem; non in fibras musculares, sive voluntati, sive non parentes, quia has nullo modo stimuli contingunt; non in cerebrum, firmumve ubivis medullare, ob hanc eandem causam, & magnam harum partium a loco, primum stimulis contacto, distantiam. Uno verbo, quoniam omnes potestates incitantes, sive salutares, sive noxiae, sive medicatrices (XLVIII. XLIX. L. LI. LIII.), aliquanto potentius in quosdam quam alios locos, pares (XLIX.) agunt, iique loci fere sunt quos prius movent, recta contingunt; igitur ii prae caeteris vel e diathesi phlogistica in asthenicam, vel ex hac in illam, ad transeundum maxime prompti sunt; ita tamen, ut propterea quod una toto corpore & indivisa incitabilitas (XLVII.) est, sive aucta in peculiari loco, sive imminuta incitatio est, & sive per rectam, sive per indirectam debilitatem imminuta est, & diathesis asthenica creata; reliqua corporis mutationis genus cito (LIII.) consequantur. Et quoniam potestates quae egerunt, eaedem fuerunt suntque, id est, aut nimis aut parum stimulatrices; incitabilitas in quam egerunt aguntque, eadem; id est, tota causae ratio eadem; ut effectus idem quoque

tit, id est, idem actionum genus toto corpore, sive superans, sive deficiens, constituatur necesse est.

CLXVIII. Inflammatio, quae phlegmasias comitatur exteriorem locum, quantum explorata eius natura est, occupat (CXIII.) Quod ideo fit, quia calor, qui potentissima noxa phlogistica est, aut solus aut cum frigore alternans, eive succedens (XCIX.), extrinsecus, quo recta admovetur, multo plus quam intus, ubi immutabilis fere temperies est, ad stimulandum, eoque diathesin communem ad iustae inflammationis modum attollendam evalet. Hinc fauces, hinc artus varii, hinc vultus diversa inflammationis forma, hinc pulmones, qui ideo pro externo loco, quod ad eos aëri recta aditus est, habendi sunt, ab inflammatione prae ceteris locis adfectantur. Praeterque noxae excitantis modo relatae vim, est in parte, inflammationem subitura, sensibilitas, quam in aliis maior, seu cumulatior incitabilitas; per quam fit, ut relatarum partium alia, dein alia prae caeteris adficiatur. Ad causam porro accedit, quod quocumque modo relatarum partim quaeque offensa sit, quocunque modo inflammationem phlegmasis propriam ante subierit, ea semper in omni deinde novae phlegmasiae accessione prae caeteris periclitatur. Haec quarundem phlegmasiarum, ut cynanches tonsillaris, aut rheumatismi, repetitionis origo manifesta. Peripneumonia reliquis huius formae morbis rarior est, quia multis stimulis, diathesi phlogisticae, cum inflammatione comite, accendendae habilibus, eximitur, spirituque qui a blando aëre continetur, & vasorum sanguiferorum actione, item septi transversi fibrarum muscularium & musculorum intercostalium ordinis

duplicis contractionibus, molliter & aequaliter in ordinario spirandi statu movetur. Verum quoties praeter solitum vehemens spiritus est, iamque omnes musculi, qui circa collum & cervicem a claviculis, a summis humeris, a scapulis, a cervicis & summi tergi vertebris orientes, musculis intercostalibus inseruntur, in actionem, ad spirandi conatum sustentandum pertrahuntur; tum demum toti utriusque pulmonis instrumento summus labor incumbit, tum crebra spiritus tractione, crebra emissione, crebro septi transversi descensu, crebris omnium musculorum abdominis contractionibus, viscera sua, septum transversum, sursum protrudentibus, violentissime pulmones concutiuntur. Inde aliqua labes aliquam in iis partem inflammationi futurae obnoxiam reddens, quoties iusta deinceps diathesis phlogistica accenditur, ut illa prae caeteris partibus dictis (XLIX.) ab inflammatione, hac ipsa diathesi nata, corripiatur efficit.

CLXIX. Inflammatio hic nihil aliud est quam partis inflammatae, communis cum reliquo corpore status, quam in pari alia quavis, auctior. Utque inflammationem, auctior in quodam quam pari alio loco incitatio facit; ita ante morbum, cuius pars vel symptomata inflammatio est, eiusdem loci, quam cuiusvis alius, incitatio pro ratione maior intelligitur (LI.).

CLXX. Haec inflammatio, quae distinctionis causa phlogistica communis nominanda est, ab altera, quae localis adfectus est, a localibus offensis nata, & in instrumenti vitio, seu continuitatis solutione consistit, discriminanda est.

CLXXI. Huic phlogisticae localis vocabulum con-

venit. Communis semper a diathesi phlogistica pendet, huius symptoma vel pars est, nunquam ei praeit, semper serius aut citius succedit, iisdem noxis nascitur, iisdem auxiliis tollitur. Cui contraria localis, ut locali offensa, continuitatem solvente, aut texturam partis disturbante exoritur; ita si pars laborans minus sensibilis est, haud latius serpit malum. In magna partis sensibilitate, puta ventriculi, intestinorum intus, extra, tenerae infra ungues carnis inflammationis; effectus universo corpore diffunditur, affectisque omnibus vasis, ubique tumultum concitat. Eadem sive loco continetur, sive diffusa latius turbat, remediis in locum prius adfectum agentibus, & solutionem continuitatis conglutinantibus, solis paret. Haec de inflammationibus phlogisticis, distinctionis causa in praesentia dixisse suffecerit, de locali in suo postea loco plura disserturum. Alterae totidem restant communis & localis, ibi postea ubi operis ordo postulat fusius exponendae.

CLXXII. Symptomata perturbationis inflammatio quoque, quoties instrumentum vitale corripit, emittit. An unquam cerebrum & meninges eius incessat inflammatio communis phlogistica, hactenus inexploratum est. Verique similius est, commotionem capitis & turbas phreniticas, non ab inflammatione pendere; ut haec ostendere videntur; primum curationis facilitas, utpote cum sanguinis detractioni, alvi purgationi & caeteris antiphlogisticis auxiliis, tumultus omnis facile cedat, nec iustae inflammationis effectus in tam tenera, tam vitae necessaria parte facile aboleri credibile est; dein nullum inflammationis, quoties salus reducitur, paulo certius indicium. Tum

rationis similitudo eodem facit; nam, ut supra relatum est (CLXVIII.), in nullo phlogistico morbo communi intus inflammatio communis subnascitur, quae quoties accidit, semper externam sedem (CXIII. CXLVIII.) occupat. Quin & symptomata omnia eiusmodi sunt, quae a communibus noxis phlogisticis (LXXV.) exoriantur, communibus quoque antiphlogisticis auxiliis, proque horum magnitudine (LXXXI.) cessura,

CLXXIII. Doloris capitis, oculorum roboris, & delirii, quae phrenitidem comitantur, & inflammationi intus imputantur, causa est sanguinis in vasis capitis abundantia, immodice distendens, & sic per violentiam, quendam doloris sensum pariens.

CLXXIV. Quin eius quoque, quae pulmonibus usu venit, perturbationis inflammatio causa sit, neutiquam est addubitandum. Extra dolenti loco, quicunque thoracis est, intus inflammatio respondet. Utque phlogisticae diatheseos magnitudini inflammatio, quae nunquam nisi in magna diathesi incidit, ita inflammationis magnitudini dolor respondet; eiusdemque causae ratione habita pulsuum status aestimandus est. In magna diathesi, & magna eius effectu inflammatione, dolor alicubi thoracis, modo circa sternum, modo iuxta mammas, modo posterius utrinque, modo a tergo inter suprave scapulas, acutus & quasi pungens est, pulsus perquam duri & validi sunt, In diathesi & inflammatione eius parte minore, dolor minus acutus, paulo hebetior & tolerabilior est; pulsus duri validique, sed minus quam in altero casu, sunt. Dein procedente morbo dolor remollescit, hebescit, spiritus, quem perturbaverat,

facilior & expeditior evadit. Pulsus, qui ante tantummodo minus duritei habebant, nunc vere, & pro indirectae debilitatis ex idoneae curationis neglectu magnitudine, vel pro rectae ex nimis antiphlogistica curatione debilitatis inductu mollescunt. Sed nunquam pulsuum durities, doloris augmen ad inflammationis in membrana sedem referendum est; neque mollities illorum, huius hebetudo ex eiusdem inflammationis in parenchymate sede esse credenda; utpote cum fieri non possit, ut inflammatio, utramvis harum partium occupans, a proximis in altera vasorum punctis absit. Ea ergo horum symptomatum, quae supra relata est, causa recipienda.

CLXXV. Pustulae, quae phlogisticos quosdam morbos comitantur, e contagione corpore recepta, per omne diffusa, & rursus inter effluendum, cum humore e cutis vasis perspirabili, subter cuticulam retenta, nascuntur. Retentionis, eoque pustularum multitudinis, causa diathesis phlogistica, toto corpore magna maior in cutis, ob rationes supra (CXIV.) relatas, vasis est. Quo in opere musculares vasculorum perspirantium fibrae, quia tantum, quatenus pro firmis simplicibus habendae sunt, densantur, quantum pro vivis habitae tono augentur, ita abreviantur igitur, ut materiae perspirabilis vaporem parum traiiciant. Omnes noxae phlogisticae ad hoc faciendum, sed prae caeteris calor, citra indirectam debilitatem subsistens, pertinent. Eadem alvi duritiei causa.

CAP. V.

Diathesis asthenica.

CLXXVI. Ante perturbationem (CXLIX.) quae tantum in graviore iusti morbi impetu supervenit, sensus omnes hebetiores, motus, tam voluntati, quam non, parentes, pigriores, ingenii acumen minus, sensibilitas & adfectus languidiores existunt. Cor & arteriae languent, ut harum pulsibus cernitur, item extrema in summo corpore vascula; ut pallore, siccitate cutis, & tumorum diminuta mole, ulcerum exsiccatione, & manifesta phlogisticae, quae horum symptomatum similitudinem creet, diatheseos absentia (CLI.) patet; musculos torpere imbecillitas, secretiones internas deficere, seminis, lactis inopia demonstrat. Instrumentorum digerentium languor, nullo cibi desiderio, huius fastidio, quandoque siti, nausea, vomitu, corporis imbecillitate, & evidente sanguinis penuria proditur.

CLXXVII. In eadem diathesi, sive citra morbum intra opportunitatem adhuc subsistente, sive ad illius iustum modum sublata, mentis & animi facultatates (CLII.) planc minuuntur. Sic imminuuntur actiones.

Diathesis asthenica explicatis symptomatis illustrata.

CLXXVIII. Ab asthenicorum morborum, paulo ve-

hementiorum initiis haud alienus horror est; quoties causa eius, perpuam deficiens perspiratio (CLIV.), subest. Defectus hic causa est, e totius corporis imbecillitate, ea cordis & arteriarum imbecillitas, qua suos humores ubique difficile, in extremis finibus difficilius, aut vix omnino perpellunt. Hinc cessat perspiratio. Eadem frigoris, cum horrorem comitatur, sensus explicatio.

CLXXIX. In asthenicis adfectibus pulsus debiles, molles, exiles, & perquam celeres sunt (CLV.). Mollitiem, quando percipi ob exilitatem potest, item hanc, creat sanguinis penuria, e carneae cibi materiae defectu, nimioque e plantis petitae usu vel deficiente ad summam, sive hinc, sive illinc alimento, opportunitatis tempore nata (CXXVIII.). Eorundem debilitatis & summae celeritatis causa est, idem alimenti, item aliorum omnium stimulorum, ut potionis validae (CXXX.), ut sive mentis (CXXXVIII.) sive corporis exercitationis (XXXVII.) defectus, & sanguinis penuria (CXXXIV.). (Vid. append.)

CLXXX. Quoniam paulatim tantum incitabilitatis abundantia deteri (XXVI. XLIII.) reparari robur potest; igitur si pulsus quando citius iusto, nec pro ratione parto levamine, plenescunt & durescunt, id malum est, eoque fit, quod ultra legem stimulatrix per diffusibilia curatio tenta est. Estque rectae debilitas indirecta superaddita, omni in curationibus cura cavenda (CLVI.).

CLXXXI. Cutis pallorem idem, quod perspirationem cohibet (CLXXVIII.), scilicet cordis & arteriarum debilitas efficit. Hinc ad summum corpus non satis sanguis perpellitur.

CLXXXII. Capitis, qui frequentissimum adfectuum asthenicorum symptoma est, item artuum, qui rarius est, dolorem (CLXXIII.) parit sanguinis penuria. Hic enim sanguinis vasa distendentis effectus est; ut mediocris distentio, qualis in secunda valetudine usu venit, gratum sensum; quicquid vel supra hanc (CLVII.), vel infra est, ingratum, eoque dolorem suscitet. Multo autem hic minus, quam in phlogistico dolore (CLVII.), inflammatio pro doloris causa suspicanda est; propterea quod non solum dolor, sed & ipsum delirium, stimulatrici curationi adeo facile cedit. Quod non facile fieret, si tam tenerum & sensibile instrumentum, & vitae tam necessarium, adfectu, adeo ad partis adfectae texturam delendam prono laboraret.

CLXXXIII. Neque fere & propter eandem causam (CLVIII. CLXXXII.), ad inflammationem delirium acceptum referendum. Quod e contrario sanguinis penuriae, & aliorum stimulorum defectui tribuendum. Neque id ullo modo dubitandum est; si quidem auxilia stimulantia, quae nihil ad replenda vasa valent, omne delirium asthenicum feliciter & cito solvunt) cumque iam, depulso morbo, salute reducta firmataque, satis alimenti acceptum digeritur, tum demum mens firmissima solido robore constat.

CLXXXIV. Sitis & calor (CLIX. CLXIII.), quae non minus asthenicos quam phlogisticos morbos insigniunt, neque minus frequentia signa sunt, asthenica in faucibus & summo corpore diathesi, hic perspirationem, illic salivae, humoris exhalabilis, & muci excretionem, per extremorum vasculorum ato-

niam & relaxationem, cohibente nascuntur. Hinc fauces, parum debitis humoribus lubricatae, siti (CLIX. torrentur. Hinc subter cuticulam perspirabili humore retento, una cum ea calor, qui in libera perspiratione, in aëra dissipari, in oedem fere gradu permanere solet, cumulatus crescit. Minime vero caloris augmen ab incitatione, seu, ut vulgo dici solet, vitae principio pendet, siquidem tum in diathesi phlogistica (CLIX. CLXIII.), tum in indirecta debilitate, non in recta incidit. Vasorum autem in summo corpore, sub quod fauces, & ad quemcumque locum aëri aditus est, is comprehenduntur debilitas, cordis & arteriarum debilitatis, haec universi corporis pars est.

CLXXXV. Siti huic asthenicae, quae multo frequentior & gravior phlogistico adfectus est, cibi fastidium, huic nullum eius desiderium antecedit; succedunt nausea, vomitus, saepe acutus ventriculi dolor, & aliae turbae. Quorum explicationem exponere proximum est.

CLXXXVI. Nullum cibi desiderium (CLXIV. CLXV. CLXVI.) eiusdem fastidium, e totius corporis debilitate pendet; ut omnes noxae antecedentes, eumque creantes adfectum, semper debilitando agentes; & omnia auxilia, quae, stimulando, roborandoque, semper iis tam occurrunt, quam medentur, ostendunt. Cibi desiderati causa est, fibrarum ventriculi, per quas digestio sustentatur, valida & sana contractio, & alicuius humoris, qualis gastricus, qualis saliva est, excretio; cuius utriusque effectui necessarius est vacuus magna ex parte ventriculus. Sed in debilitate nulla harum rerum fieri potest. Fibrae non valide se contrahunt, vascula extrema suos hu-

mores non effundunt, cibi materia, ante ventriculo recepta, non solvitur, soluta ventriculo expellitur, sed magna ex parte immutata & insoluta permanet. Hinc non desideratur, & in maiore vi mali etiam fastiditur cibus.

CLXXXVII. Similiter sitis explicata (CLXXXVI.) est, similiter, quae altior, ex eadem causa pendens, adfectus est nausea, explicanda (CLXVI.). Ubi enim vires vigent, tam ubique praeterea corporis, quam circa ventriculum & loca cum eo adfinia, gratissimus & iucundissimus sensus est.

CLXXXVIII. Quod ad vomitum vero attinet (CLXVI.), is harum omnium offensarum cumulus & caput est. Eo enim, cum is supervenit, fibrarum atonia & laxitas, eo sordium crudarum collectio, eo ex his & aëre soluto ventriculi distentio processit, ut consuetum suum motum a superiore ad inferiorem partem, qui peristalticus vulgo dicitur, peragere fibrae oppressae nequeant. Cumque in omni, sive secundae sive adversae valetudinis casu, is motus semper a stimulo in contrariam partem tendat; deorsum ubi stimulus ex ore est; sursum, cum is e ventriculo procedit; ita sordes & aër emissus, quorum facta mentio est, pro locali stimulo agentes, quicquid motus suscitant, id superiora versus dirigunt. Qui motus inversus, cum contra naturam est, nunquam gratus esse potest, unde, ante vomitus adventum, nausea suboritur; nunquam paulo diutius non violentus, quia localis stimulus semper in violentos & enormes motus fibras musculares concitat, unde vomitus nascitur.

CLXXXIX. Doloris (CLXXXV.) in ventriculo a

In intestinis, alibi tam intus, quam extra, causa, in diathesi asthenica, spasmus est. Quem intus, id est, in motus involuntarii instrumentis fibrae, per communem universo corpori debilitatem, resolutae pariter & tono destitutae, una cum materia distendente (LVIII.) faciunt. Haec materia in ventriculo sordes, in intestinis stercus durum, in utroque aër emissus est. Cuius ad distendendum effectus non tantum ipso, quantum fibrarum, quas distendit, laxitate nititur. Quae enim vis distendens tales fibras opprimit, eam validae & solido robore stantes, facile repellunt, distentioni resistunt. Laxatae vero, de quibus sermo est, quo acrius premuntur, urgentur, eo magis usque cedunt, donec amissa omni resiliendi, omni se relaxandi potestate, immobiliter contractae permaneant. Quod, per eam fibrarum musculariam proprietatem fit, qua eae, abi tentae sunt, non communis elasticae materiae instar, remota tendente potestate, tum demum, sed etiam manente hac, contrahuntur. Inter hoc agendum, hoc patiendum, violentia quaedam a sensibilibus fibris subitur. Hinc dolor. Plus vero fibrarum ipsarum laxitati, quam materiae distentrici in hoc opere tribuendum, argumento est, toni & densitatis, nam inter se exactissima ratione, ut ab eadem causa pendentes, respondent (LVII. LIX.), per stimulantia redintegratio. Qua fit, ut sano more sese contrahentes, & potenter renitentes, restituto motu peristaltico, manentem adhuc, et distendere non cessantem materiam, prae se deorsum, sine ulla alia ope, ut nuper exploratum est, depellant. Sic vinum, sic aromata, sic alkali volatile, & ante omnia variae opii formae

formae, talem materiam sine ulla, sive supra sive infra, purgatione, nullo negotio, brevissimo tempore, sede sua deturbant.

CXC. Dolor, qui in exterioribus corporis partibus toties in asthenicis malis vexat, a spasmo quoque, sed non cum materia distentrice coniuncto, pendet. Cuius in locum subit potestas, ad nullam referenda materiam, nempe voluntatis in membro movendo conatus quidam. Per hunc sic spasmus, ac in altero casu (CLXXXIX.) per distentionem, & summo saepe cum dolore concitatur. Ubi, cum effectus idem sit, nempe spasmus a debilitate oriundus, restituto robore solvendus; causa igitur eadem quoque sit, & ad debilitatem quoque cum aliquo, distentionem prorsus referente, eique parem habente potestatem, redeat necesse est. Sic a notis effectibus ad ignotas causas adscendere tuto saepe licet. Dolor, de quo hic agitur, musculorum spasmos respicit. Sed

CXCI. Alter dolor est, minus eodem loco contentus, magis diffusus, pariter molestus; quem non spasmus sed alter stimulus localis adiuvat, pariter a debilitate natus, pariter debilitatem adaugens, & cum reliquis debilitatis signis debilitando mortem maturans. Hic mero, qui quandoque in magna canalis alimentarii debilitate dominatur, acido nascitur; id quod cholera maximo, sed & omnes primarum viarum, quos vomitus & alvi deiectiones comitantur, adfectus plus minusve declarant.

CXCII. Hoc acidum (CXCI.) non est causae origo, sed iam facto ex sua causa debilitate morbo, iamque confirmato, symptoma superveniens, inde ortum, unde reliqua symptomata, & iisdem auxilliis tol-

lendum. Idem, postquam natum est, omnem debilitatem, sive in primis viis, sive in reliquo corpore, ex propria morbi causa forte grassantem, toto corpore, sed maxime in loco ubi adest, non cessat augere, causae vim intendere.

CXCIII. Verum enim vero, licet, sic, ipsum debilitatis proles, ad porro debilitandum, eodemque modo, quo spasmus dictus est (CLXXXIX.), pertineat; ad id vel mutandum, vel efficiendum, praeter commune medendi consilium, non est opus alio. Nam, ut ortum primum, sic usque a communi causa pendet; & quicquid ad reliqua symptomata, idem ad id superandum pertinet. Ad quam rem, ut in spasmi casu, stimulantia, non supra, non infra, purgantia, nec alia quaelibet debilitantia requiruntur.

CXCIV. Ut in statu convulsivo dolorem intus, seu in motus instrumentis non voluntariis, acidum relatum; sic extra, seu in iis, quorum motus voluntati paret, instrumentis, aliquid, eundem, quem acidum, effectum praestans, e voluntate pendens, cum convulsione coniunctum, creat (CLXXXIX. CXI.). Utque nulla illic materia distendenti, sic nulla hic dolorificae respondet. Quin &, sicut spasmodicum casum quaelibet musculorum spasmata, & supra omnia tetanus, ita convulsivum quaelibet convulsio, sed prae caeteris epilepsia, repraesentat. Denique, ut illic eundem externum, ac internum casum, sic hic quoque esse, eadem ab effectu cognito ad causam ignotam ratiocinatio (CXC.) probat.

CXCV. Simplex, a levissimo ad gravissimum hunc adfectum, dolorem, ut eo redeatur, unde (CLXXXIV.-

V ad CXCV.) excursum est, cursus; a nullo cibi, propter huius & aliorum stimulorum inopiam (XXXVIII.-IX.), vel nimiam copiam (XXVIII.-IX.), desiderio (CLXXXVI.), ad spasmodicum vel convulsivum dolorem (CLXXXIX. ad CXCV.), est. Ob causas modo relatas, primum non desideratur, si in debilitante consilio perseveratur, cibusque deest, qualis, puta iusculorum carneorum in forma, accipi potest, fastiditur; mox, si etiam nihil ad stimulandum adhibetur, sitietur, debilitantissima res, frigida, ad sitim restinguendam, avidissime adpetetur, omnibus, quae in summis habentur, deliciis, anteponetur, haurietur. Quo facto, protinus nausea succedit: Quae nisi diffusibili stimulo, qualis spiritus meracissimi cyathus est, aut, hoc frustra laborantem habente, alter, forsan tertius, ei obsistitur, ad vomitum recta ruit. Cumque paulo gravior adfectus est, inter vomendum acer dolor in ventriculo, qualis, si ferri strictura, eum transversim distrahens, intus, esset, exoritur. In graviore etiam adfectu, tum maiore causae vi, omne cruciatus genus perfertur, dolet, quasi percussum malleo caput. Cum intestinali canali turbae, non protinus plerumque, sed permanente, &, interpositis falsae requietis intervallis, moras trahente malo, communicantur. Saepe cum torminibus & magnis doloribus praecipitatur alvus, saepius, quod, inverso motu peristaltico, minus erit mirandum, comprimitur, omne cruciatuum genus experitur, ea subinde vomendi ac ventriculi doloris alternas subit vices. In modo relatis turbis dyspepsia, ipsa podagra, diarrhoea, dysenteria, cholera, colica, ileus,

viriides puerorum deiectiones, vermes, tabes, atrophia, quas dicunt, utraque puerilis, & longe maxima huius aetatis morborum pars, comprehenduntur.

CXCVI. Procedente mali causa, & noxis debilitantibus etiam magis instantibus, in consensum exteriora corporis pertrahuntur, iamque motus voluntarii corripiuntur instrumenta. Modo surae, modo brachia, aliaeque partes varie spasmatis torquentur. Modo pectus varie circumcirca, modo humeri, nunc latera, nunc tergum, nunc cervix, dolent. Quibus doloribus nulla corporis humani pars eximitur; non pulmonum, non iecoris, non ventriculi, regio; in quibus, qui acres quandoque concitati dolores, ab inflammatione intus esse creduntur, ii a spasmodico, vel convulsivo motu, revera sunt. Hanc veram eorum originem esse restituti rite stimuli mala, saepe protinus, semper brevi, tollentes bonam valetudinem, reponentes; confirmant, confirmat, contrariae, per sanguinis detractionem, variam purgationem, inediamque, curationis infelicitas. Quin, quod eodem etiam fortius redit, ut inedia sola saepe ad dolores creandos sufficit, sic lautus cibus solus quoque ad solvendos suffecit.

CXCVII. Iidem dolores (CXCVI.), ut modo cum enormi motu coniunguntur, modo huius expertes incidunt, ita ab omni inflammatione prorsus alieni sunt. Ad quos igitur ab aliis, hac aut simili origine natis distinguendos, coniunctus symptomatum concursus respiciendus (XCIII.). Diathesis phlogistica phlogisticos, asthenica asthenicos, dolores indicat. Haec observatio altius ad adfectus quotidianos pertinet, vulgoque recepeas curationes evertit, Vel capitis, qui

tam frequens malum est, dolor decies stimulatrice ratione, pro simplice contraria, curandus est.

CXCVIII. Perturbationis quoque symptomata in asthenicis morbis gravioribus, perinde ac in phlogisticis (CLXVIII. CLI. CLXXII.), occurrunt. Talem caput in epilepsia, apoplexia, & febribus; pulmones in asthmate; canalis alimentarius in cholera, colica, dyspepsia & podagra, perturbationem subeunt. Sic in canali alimentario praeter dolores supra (CXC. ad CXCVIII.) relatos, urendi quidam sensus, angor, contortus & dirus cruciatus summae sunt tam sentienti, quam adstantibus, formidini, & inflammationis causae suspicionem creant. Quod, tantas turbas & tumultum cernentibus, etiam ipsis hactenus medicis, difficillimum fuit estque, non credere. Quae tamen mala nihil cum inflammatione rei habere, & a loci statu prorsus contrario pendere, toties felix per stimulantia, quoties eius periculum factum est, curatio, declaravit. Eandem rem adhibita, vinum, opium, & alii stimuli diffusibiles: dein cumque his, iuscula e carne confecta, post caro, solitus demum victus, solitum vitae genus, & a debilitando cautio, confirmant. Quae curandi ratio alienissimos hos adfectus, tam ab inflammatione, quam omni diatheseos phlogisticae parte, demonstrat. Quin & inflammatio phlogistica communis, propterea quod interiores sedes non occupare (CXII. CLVII.) videtur, aliud, quo minus hic inflammatio pro causa suspicanda sit, adfert argumentum.

CXCIX. Perturbatio pulmonalis asthenica saepe intolerando adeo fixoque dolore cruciat, ut ad hunc solvendum nullus sanguinis detractionibus modus sit

(XCIII.-IV.) statutus. Quae omnes non frustra solum, sed detrimento, saepe perniciei fuerunt; cum e contrario curatio stimulatrix nunquam non responderit. Eo spiritus interrumpitur, & omnia prope, quae iustam peripneumoniam comitantur, infestant, usque adeo, ut, an hic quoque inflammatio sit, suspectui fuerit, vel potius esse fidenter creditum. Quod si, inter hunc adfectum & phlegmasiam istam, quicquam interesse perspectum est, ea distinctionis umbra non ad inflammationem reiiciendam ducebat, tantum quaestiones de eius sede occasionem praebebat. Verum enim vero, nullam omnino hic inflammationem, saltem ut causam, morbumque verae debilitatis esse, eadem, quae supra (CXCVIII.) relata sunt, argumenta satis probant. Crescit antiphlogistica, minuitur, tollitur; idque citissime, stimulatrice curatione malum.

CC. Formidanda perturbationis symptomata, quae (CXCVIII.) epilepsiam, apoplexiam, & febres comitantur, cuiusmodi sunt, stupor, sopor in omnibus; in febribus saepe falsa illa, quae typhomania nominantur, vigilia, interdum coma; in his tendinum subsultus, in illis convulsio, vel motuum voluntariorum diminutio; quae partim irritationi, ut typhomania, tendinum subsultus, partim plethorae vel soli puraeque, vel una cum hac mobilitati, a plerisque accepta relata sunt; omnia sine discrimine eidem causae, quae universos asthenicos morbos continet, nempe, debilitati, manifeste debentur. Quod, noxae debilitatrices, sive recta sive eventu agentes, eos solae morbos facientes; auxilia, quorum omnis in stimulo posita actio est, eosdem su-

blevantia, vel solventia, declarant. Frustra vero in apoplexia insimulatur plethora, tanquam eo vitae tempore, quo corpus effoetum & prope exsangue est, scilicet, solito alimento neque desiderato, neque sumpto, neque digesto, sanguinis plus, quam florente firmatissimave aetate, gigni posset. Contra, quo tempore apoplexia supervenit, per indirectam, ex longaevitate & nimia in vitae genere incitatione, debilitatem, firma languent, deficiunt humores, fonsque eorum sanguis. Eadem epilepsiam debilitas, eadem humorum penuria causa, nisi quod saepius directa debilitas est, continet. Febres in indirecta debilitate, ut in variola confluente, vel ubi ebrietas praecipua eas excitans noxa fuit, positae esse possunt, ita tamen, ut earum longe saepissime directa (CVI.-VII.) causa subsit. Et in omnibus modo expositis casibus, tam reliquorum symptomatum, quam perturbantium, debilitas origo causae & finis est.

CCI. Ad perturbationis signa quoque pertinent illa quandoque caput adfectantia, huius in febribus dolor immanis, post mentis imbecillitatem & dein confusionem, delirium, saepe, in summa quamvis debilitate, satis tamen ferox, & ad conatus supra vires ducens. Hic status sub typhi, etiam saevi, finem haud raro accidit. Inflammatio metuitur, sanguis, sed e capite recta, mittitur, vesicatoria, quae unctio in arte extrema est, imponuntur, silentium, tenebrae praecipiuntur, vel lenissima stimulantia negantur. Ex inanitate ventriculi, item vasorum totius corporis, e summo deficientibus aliis stimulis languore, delirio vertigo superadditur, viribus, sensibus, mente, captus efflat animam.

CCII. Verum vel nulla hic inflammatio subest, vel a phlogistica communi (CLVIII.) toto coelo distat. Non esse hanc, debilitatricis curationis infelicitas, stimulatricis, dein vasa replentis, supra fidem felicitas, declarant. Nec aliam esse, restituta tam cito salus fidem facit. Cumque, tam aliunde, quam e vasorum inanitate, seu attenuatione communi, ortam debilitatem semper mentis inopia, confusio, etiam in iis, qui alias sani sunt, quodam tenus subsequatur; quid mirum, si in summa, quae cum vita consistere potest, attenuatione, summa incitationis diminutione, vix vitae umbram relinquente, summus quoque, inter alias actiones, mentis defectus, delirium, scilicet, incidat? Quin & eadem haec res certa & explorata est. Sic fames, sic post ebrietatem, magnamque crapulam, aquae contra consuetudinem potatio, sic tristes animi adfectus, huius dolor, terror, desperatio, non pro tempore tantum delirium inferunt, sed haud raro ad iustam insaniam adigunt. Eodem sanguinis paulo maior iactura pertinet. Quot enim, sive in acie, sive a latronibus vulnerati, nunquam deinde per totam, saepe longam, vitam, mente constitere? Mitte contusiones, vulnera & alias offensiones, qua cerebri textura laeditur, utpote quae ad morbos locales, de quibus suo postea loco sermo erit, attineant. Et quo modo frigus interfecit? Nonne, inter omnes alias imminutas actiones, per delirium morti praeiens? Ex his tot tamque validis rebus, omnes fere potestates (X. ad XIV.) in argumenti fidem sistentibus, tam capitis dolorem, quam mentis omnem, maiorem, minorem culpam, summamque hanc, delirium, non ab inflammatione phlo-

gistica communi, quae sola hactenus innotuit, omnino; nec ab altera communi, cui asthenicae vocabulum dandum, necessario pendere; sed e summa, tam aliorum stimulorum, quam eius, quem iusta vasorum plenitudo facit (CLVII. CLVIII.), defectu, debilitate nasci fatendum. Quae saltem longe frequentissima symptomatum relatorum causa est, ut salus in nova medendi ratione plerumque tam cito reducta, demonstrat.

CCIII. Atqui, si unquam inflammatio asthenica (CCII.) relata, symptomatum, de quo agitur, tumultum concitet; id eodem prorsus modo, quo per ssnguinis penuriam & aliorum stimulorum defectum (CCII.) debilitas efficit; & iisdem uterque casus auxiliis, nempe stimulantibus, dein paulatim vasorum repletione (CLXXXIII CCI.) tollendus est. Nam

CCIV. Asthenica communis inflammatio nihil aliud est, quam asthenica diathesis in aliquo loco, quam pari quovis alio, paulo vehementior (XLIX.), ita quidem ut asthenicae in inflammatione diatheseos vis, minime cum diatheseos, in reliquo omni corpore sine iuflammatione, vi conferenda sit; utpote cum omnem partis adfectum toto corpore diffusus longe superet (XLVIII. XLIX. L. LI.). Aliis verbis.

CCV. Inflammatio hic (CLXVI.) nihil aliud est, quam partis inflammatae, communis cum reliquo corpore status. Utque inflammationem minor in aliquo, quam pari alio loco (XLIX.), incitatio facit, ita ante morbum, cuius pars, symptoma vel effectus, inflammatio est, eiusdem loci, quam cuiusvis alius, incitatio pro ratione minor intelligitur.

CCVI. Haec inflammatio (CIV. CV.) ab altera (CLXX.), quae localis est, distinguatur oportet. Communis a communi diathesi pendet, & in certa magnitudine tantum accidit; localis ex offensa aliqua, partis texturam solvente & vitiante, nulla diatheseos, aut huius magnitudinis ratione habita, nascitur. Communem eaedem noxae, quae communem diathesin, paulo tantum maiores, creant, eadem etiam auxilia, paulo tantum maiora, utrumque tollunt. Localis inflammatio noxis partem tantum labefacientibus, & auxiliis eius statum mutantibus, continetur, a communibus noxis & auxiliis non movetur. Communibus exempla sunt eae inflammationes, quae podagram, cynanchen putridam, gangraenosam comitantur, & ea, quae facit lippitudinem. Localis inflammatio exemplis in suo loco proferendis illustrabitur simul & explanabitur. Communem inflammationem debilitas toto corpore comitatur, localem sequitur, nec id semper. Ad illam tollendam curatio communis, ad hanc partis aegrae conglutinatio pertinent. Sic (CLXX.) quatuor inflammationes sunt, duae communes, phlogistica & asthenica, totidem locales, quarum altera (CLXX.) quoque phlogistica, altera est asthenica. Illa in suppurationem saepe desinit, saepe sine hac solvitur; haec ad gangraenam, quandoque ad sphacelum, estque ubi, ad mortem demum, tendit. Si inflammatio in typhi fine cerebrum aut eius membranas, quod nondum probatum nec verisimile est, adficit, ea asthenica quoque communis est.

CCVII. Ut inflammationem communem phlogisticam (LXX.) facit sanguinis copia, vascula ipsius

sedem supra modum distendens, distendendo stimulans, stimulando incitationem augens, ac validiores & crebriores contractiones ciens, his diametras, auctis fibrarum, ut vivarum tono, ut simplicium densitate (LIX.) minuens, & sic ut cum magno molimine sanguis per contracta vasa perfluat, interque perfluendum, propter contractionum magnitudinem arctumque meandi spatium, dolorem creet, efficiens: Utque eadem diatheseos sthenicae per omnia vasa, sive rubra, sive decolora, causa sed minus magna est: sic

CCVIII. Inflammationis communis asthenicae causa est sanguinis quoque in inflammatis vasculis copia, similes ac in phlogistica effectus trahens, & licet ubique praeterea vasorum eius inopia subsit, in inflammata tamen vascula, propter maiorem horum quam aliorum atoniam & laxitatem, vel minimo impetui cedentem, abundantius confluens, ea distendit, & propria cuiusvis inflammationis excitat.

CCIX. Ut illius medendi consilium est, copiam sanguinis, qui prima tumultus origo est, imminuere, & sic nimiam incitationem ad idoneam valetudini, nimias contractiones, e quibus tumultus constat, ad modicas, quae iucundae sunt, & valetudini quoque convenientes deducere. Sic

CCX. Huius curandi consilium est, primum id sanguinis quod intus ubique est, potentibus stimulis (CLXXXIII. CCI.) percitare, ut haerens in languidis inflammatae partis vasculis sic propellatur, & onus his dematur; dein, paulatim cibis conditis, e carne confectis, per iuscula; mox postquam vires refectae erunt, in firmae materiae forma, omnia vasa replere (LXXXIII. CCI. CCIII.).

CCXI. Alterae duae inflammationes locales postea suo quaeque loco tractabuntur.

CCXII. Insidiosa in primis est illa gutturis inflammatio, quae in putridam, ut aiunt, desinit. Primis diebus a cynanche tonsillari specie parum distat. Consimilia quoque communia signa sunt. Pulsus phlogisticorum modum frequentia & reliquis notis vix excedunt. Aliquamdiu omnia molliter & tranquille procedunt, nisi quod assidua materiae mucosae tenacis sputatio molestiam facessit. Tandem, ubi validissimis stimulis ei non occurritur, tempus advenit, cum subito omnia in peius praecipitantur, pulsus celerrimi, debilissimi, in primis exiles evadunt, vires toto corpore collabuntur, nec modica diffusibilis stimuli, nunc demum subministrati, maximi natura humanae decoris miserandum finem sistet. Cuius morbi optima curandi ratio est, per potentia in primis stimulantia, fatali occurrere tempori.

CCXIII. Adeo adversus inflammationem in podagra valent stimuli diffusibiles, ut modo potio merax, ut vinum, ut spiritus aqua tam calida, quam ferri potest, diluta, paucis horis gravissimam illam sustulerint, usum pedum restituerint; quae, ut supra (CCV.) relatum, aeque ad communia signa solvenda possunt.

CCXIV. Gutturis in cynanche gangraenosa inflammatio non, ut vulgo creditur, primarius adfectus est; sed, ut omnis alia communis asthenica, e diathesi communi, quae hic manifeste asthenica est (CCVI.), pendet, huius, ubi iam ad certam magnitudinem pervenit, pars vel symptoma existens. Nihil haec cum phlogistica communi inflammatione, quae cynanchen

tonsillarem insignit aut aliis duabus localibus (CLXX. CLXXI. CCVI.) rei habet commune.

CCXV. Pustulae confertae in variola, ubi ea in confluentem, id est asthenicum commune malum versa est, novae diatheseos participes, e phlogisticis asthenicae fiunt. Utque locali ante stimulo diathesin plogisticam in asthenicam per indirectam debilitatem (XXVII.) celeriter rapuerunt; ita nunc, debilitante asthenicae ipsarum naturae vi, astheniam ubique firmant, augent & ad mortem cito perferunt.

CCXVI. Earundem, ex utriusque casus inter se collata curatione, natura quo clarior & illustrior sit, curationem prorsus in altero casu ab alterius curatione diversam esse constat. Discretae variolae, item comitantis eruptionis auxilia sunt, frigus, & quicquid humores auferendo, aut aliter debilitat. Confluenti tam morbo, quam eruptioni comiti, auxiliantur, calor citra indirecte debilitantem gradum subsistens, & omnia, quae quam citissime & potentissime stimulant, ideoque stimuli maxime diffusibiles.

CCXVII. Differunt hoc praeterea, quod omnes in discreto casu noxae phlogisticae, omnes in confluente, asthenicae sunt. Quae differentia pariter ad utrumque morbum communem, ad eruptionem utramque pertinet.

CCXVIII. Utque phlogisticae pustulae ad vigentem inflammationem & bonam suppurationem; sic asthenicae ad gangraenam, sphacelum, & mortem, recta tendunt.

CCXIX. Anthraces, carbunculi & bubones, qui pestem saepe, typhum non nunquam comitantur, a contagiosa materia corpore recepta, dein una cum

humore perspirabili mucove, subter cuticulam & in glandulis retenta nascuntur (XCVI. ad XCIX.). Retentionis, eoque eruptionis huius, causa est, ob communem toti corpori debilitatem, summumque cordis & arteriarum languorem, cessans in his extremis & perspiratoriis motus omnino. Hoc ita esse, nulla tempore opportunitatis, ubi aliquid vigoris adhuc superest, eoque perspiratio aliquo modo procedit, eruptio, nulla in subito per morbi vehementiam fato, nulla vel eruptio vel morbus in omnibus casibus, ubi ei per stimulantium validiorum usum, mature occurritur, semperque tanto lenior morbus, tanto minus eruptionis, quanto rectius curatio stimulatrix sit adhibita, declarant. Nam, sive per diathesin phlogisticam maximam (CXIII.), sive per asthenicam, ut in hoc casu, parem (CXV. CXVI.), perspiratio supprimitur, quaecunque materia aliena cum eo eiici debet, ea una retinetur, subterque cuticulam retenta, stagnando, & peiorem & acriorem naturam acquirendo, inflammationes locales, vel phlogisticas (CLXX.), vel asthenicas (CCVI.), pro diversa cuiusque natura, vel potius corporis habitu, procreat.

CCXX. Similiter ea, quae in cynanche gangraenosa (CCXIV.) cutem distinguit, eruptio explicanda est; ut & altera, quae variolae, propter debilitatem alias bene cessurae, sed ob nimiam comitem eruptionem, in mortem nisi validissimis ei stimulis obsistatur, desiturae, quandoque comes adhaeret. Utraque maculata eruptio est, utraque rubra. Sed illa minoribus, haec maioribus maculis distinguitur. Quarum in hac color sandyx est, artem omnem longe, ipsamque naturae in aliis rebus

vim prope superans. Utraque ad suppressam, per debilitatem (CCXIX. & alibi) relatam, perspirationem accepta referenda. Illa, in medendi usu, stimulatrice, quae ad reliqua symptomata solvenda pertinet, curatione solvitur. In hac debilitati, ad mitiorem variolam reddendam, in praeparatrice administratione consilio factae, simul ac eruptio prodit, obsistendum, maximeque diffusibili quoque stimulo robur restituendum, pustulae, quae, tum paucae, tum nullius momenti sunt, ac ne quidem ad iusti communis morbi (IV.) modum attingunt, eoque omni periculo carent, contemnendae. Quod si fit, certa & cita salus; si non, aut contraria curandi ratio instituitur, mors inevitabilis.

CCXXI. Calor non proprius phlogisticis pyrexiis est (CLIX.), sed ad alios eiusdem notae morbos omnes quoque pertinet. Nec his quidem ita continetur, quin & in omnibus ad hos morbos opportunitatis gradibus, proque cuiusque magnitudine, suboriatur. Sed ne hic quidem res finitur. Idem omnes asthenicos morbos, sive febriles, ut nulla ratione loquuntur, sive non, & ad hos omnes opportunitatis gradus, pro debilitatis magnitudine distinguit. Nulla certior decedentis morbi tam phlogistici quam asthenici nota est, quam ea temperies naturalis, quae, ut a calore morboso distinguatur, frigus dici solet.

CCXXII. Calor naturalis est tum solum, cum neutra subest diathesis. Unde per omnes auctae incitationis gradus, donec indirecta, per nimiam stimuli vim, debilitas confirmetur, pro incitationis, minus usque minusque vascula perspiratoria & patula reddentis (CXIII.) magnitudine crescit.

Crescit etiam per omnes imminutae incitationis gradus ad certos, quos causa mox exponenda ponit, fines, proque incitationis, licet usque vascula perspiratoria magis patefaciat, decrescentis, & sic, inter alios effectus, motum cum ubique vasorum, tum in perspiratoriis maxime, minuentis ratione.

CCXXIII. Cum iam summus calor fuit, & debilitas pro ratione magna, tandem in extremis artubus, dein paulatim reliquo corpore, in locum eius frigus, quod malum semper signum est, succedit. Cuius rei haec ratio est. Procedente debilitate, primum in extremis extremorum artuum vasculis, eoque perspiratoriis, motus summopere languere, dein perire incipit. Hinc, ut calor, sive iustus (CCXXII.), sive nimius, a sanguinis & humorum motu, iusto, nimio, quodam tenus deficiente (CCXXII.) pendet; si igitur is aut nullus aut nulli proximus est, perinde ac in hac re, una cum causa, perpetua naturae lege, desinit effectus. Hoc idem in utroque incitabilitatis extremo (XXVIII. XXXVIII.) nimiae scilicet in recta, & nullius fere in indirecta debilitate, accidit, eoque magis quod undeunde est, debilitas semper eadem est.

CCXXIV. Propterea quod in phlogisticis malis incitatio toto corpore multum & aequaliter plerumque augetur; toto igitur calor quoque aequaliter diffunditur. Neque hac re excipiuntur nisi ii casus, ubi in quibusdam partibus, ut ventriculo ad vomitum ruente, eoque, indirectam debilitatem adire periclitante, vel indirecta debilitas, morbo nimia stimulantis operis vi procedente, fit, vel recta, cum curatio debilitans ultra normam tenta est. Verum, quamdiu diathe-

diathesis phlogistica viget, & magnam incitationis vim sustentat, calor aequalis semper fere erit.

CCXXV. Idem quoque in mediocri debilitate accidit. Ita per totam opportunitatem, & in iis morbis, ubi nondum ad vasorum motum prope deletum res pervenit, satis aequalis calor est. Deleti motus effectus explicatus est (CCXXIII.). Ante quem, siqua in mediocris debilitatis morbis caloris inaequalitas occurrit, ut in manibus pedibusque, id fit, quia maior illuc, quam alio, debilitandi vis, cuiusmodi frigus, labor, hinc, aut aliunde sudor frigens spissusque sunt, incubuit. Non solum in podagra, sed etiam in aliis tam rectae, quam indirectae debilitatis adfectibus, ardor plantas potissimum infestans, cum summo dolore, praesertim inter ambulandum, torquet. Quem e debilitate, idoneam perspirationem cohibente, esse, lassitudo, frigus (XLIII. XLVI.), & alia debilitantia nocendo; calor, quies, & alia stimulantia iuvando, demonstrant.

CCXXVI. Restat nunc, ut quo modo in magnis malis phlogisticis, incitatio iusto maior, aliquas actiones, sed nunquam, quamdiu subest debilitando, minuat (CXLVIII.); quoque pacto in asthenicis gravioribus morbis, eadem incitatio iusto minor, quasdam actiones augendi, sed semper falsam speciem praebeat (CXLIX.), exponatur.

CCXXVII. Si in peripneumonia, synocha phrenitica, & rheumatismo violento, voluntarii motus minuuntur eo usque, ut neque pedibus quis, neque manibus, paralytico magis uti possit; id non ex debilitate, id est ex imminuta sive recta sive eventu (XXVIII. XXXVIII.) incitatione incidere, duplice

hoc indicio manifestum est; quod, si debilitas vera esset, opifera stimulantia (LXXXVIII. XC.) debilitantia veneno (XCI.) forent. Quod prorsus contra est. Nam eadem debilitantia, quae reliqua manifesta nimiae incitationis symptomata, hanc quoque motus impotentiam solvunt, contraria malum augent.

CCXXVIII. Rursus in spasmis & convulsionibus sive motuum involuntariorum in interioribus locis, ut in dyspepsia, in podagra, in colica, in dysenteria, in cholera, in hysteria, in quovis vehementiore sive vomendi, sive desidendi impetu, quales adfectus plurimi sine nominibus quotidie incidunt; sive voluntati parentium, extrinsecus, ut in trismo, in tetano, multisque aliorum locorum spasmis; aut in convulsione, epilepsia, & aliis multis adfectibus convulsivis; si actiones istae plurimum auctae videntur, id non ex aucto robore, id est aucta incitatione fieri, duplice quoque argumento cuivis aequo iudici probabitur; quod, si hic aucti vere roboris casus esset, debilitantia, seu diatheseos phlogisticae (XC.) remedia eum solverent, stimulantia non ad indirectam usque debilitatem procedentia, sed intra eum modum, quo astheniam solvunt, subsistentia intentarent. Cui tamen prorsus contrarium verum. Nam sola debilitantia, quae reliqua confessae debilitatis signa, hos spasmos & convulsiones quoque tollunt; stimulantia nocent.

CCXXIX. Quia quid sit contractio, vel quaevis fere vivorum corporum actio nesciatur; ideo an hic contractio aucta an imminuta sit, non pugnabitur (LVII. LVIII. LIX.); sed hos spasmodicos & convulsivos motus actionem imminutam esse, id demum

vehementer contendetur. Nam si intra certos fines (XXVII.) aucta incitatio roboris, plus, imminuta minus (XXIII.) edit, & omnis sic suboriens actio pro incitationis, fine (XXVIII.) relato conclusae, augmine augeri, pro eiusdem ad finem (XXXVIII.) dictum defectu minui, recte definitur; hic igitur actio minuta (CCXXVII.), aucta illic rectissime definitur.

CCXXX. Falsa igitur omnis de iis motibus (CCXXVII. ad CCXXX.) hactenus recepta notio est; tanquam a nimio in fibras, spasmo vel convulsione laborantes, humoris, ut prius loquebantur, vel potestatis, qui nunc sermo vulgatur, nervosae influxu, id est, siquid omnino significat, a nimia in fibris relatis incitatione proficiscerentur. Utque error, ut logici aiunt, errorem trahit; sic haec notio in alteram falsam de opii opere seduxit. Cumque motus nimios e nimio vitae, saltem in partibus laborantibus, principio concitatos, inscite satis iudicarent; ita illud ea virtute esse, quae ad eos compescendos, seu sedandos motus accomodaretur, contra totam rerum rationis similitudinem, contra omnium potestatum incitantium, quae omnes stimulare, nullae sedare (XVII. XIX. ad XXIII. probatae sunt, certam fidem existimaverunt, aut alios docuerunt. Quod si nihil in rebus, iis saltem quae corporibus animalium admoveri solent sedare, ulla ex parte incertum esset; quo modo de opio incertum esse potest, nedum contrarium certum iudicetur? Nonne id idem apud Turcas, ac apud nos vinum valet? Aut e contrario eius populi milites in praelium proficiscentes, eo consilio opii copiam mandere, ut naturales ipsorum

motus compescantur, animorum impetus retusi subsidant, dandum est? Si febres, si podagra, si dyspepsia, si colica, si asthma, omnesque adfectus spasmodici & convulsivi, denique omnes asthenici morbi nuper contra omnium spem & opinionem, variis opii formis, nullo negotio decedere convicta sunt, & ii omnes in debilitate positi esse adfectus declarati; an opium, porro debilitando, vel miseras naturae motuum reliquias potius extinguendo, iis opiferum esse concedendum. Si vini formae, sive ex uvis paratae; sive ex aliis liquoribus meris confectae, ad eosdem morbos tollendos, quod recentia experimenta quoque detexerunt, plurimum valent, eoque simili, ac opium opere prodesse intelliguntur; an ea operis similitudo eius diversam, immo contrariam naturam arguere agnoscenda est. Postremo si morbis in confesso motuum defectu, pariter ac iis, quorum motus, ut aucti videntur, ita vere non esse aucti, demonstrati sunt, medetur; quid tanto argumento, tot tamque validis iam adlatis addito, tandem obiicies? Minime hercule opium sedat. Contra, ut omnium vitam tuentium, salutem reducentium, potestatum, potentissimum vereque beatum est; ad cuius divinam virtutem tot mortalium salus accepta relata, in futurum accepta referenda est; ita spasmos convulsionesque, adversus quos tanta virtute valet, non in aucta, sed imminuta incitatione posita esse, & eodem ea opere opium, quo quoslibet in debilitate positos adfectus tollere, fatendum est.

CCXXXI. Aliquando in morbis sanguis praeter naturam profluit (CXXIV. & append.). Sic in phlogisticis morbis e naribus sanguis stillat: Quod pro

iudicatorio signo habitum est. Quod utique nihil aliud, quam diatheseos phlogisticae remissionem, in indirectam debilitatem proclivitatem, significat. Qui effectus cito plerumque recedit, convalescentem statum, mox salutem relinquens, raro in confirmatam debilitatem transiens. Non tamen sanguinis arte detractione, nec ullo purgationis genere sustentandus est, ne debilitatis periculum in veram hanc vertatur, profluvium in iustum morbum crescat, & alia debilitatis symptomata superinducantur.

CCXXXII. Magna & continuata sanguinea profluvia sive ex utero, sive ex ano, circave hunc, sive per nares in debilitate pura posita sunt. Sanguinis copia supra modum vasa distendens, & indirectam debilitatem constituens, potest aliquando prima causae origo (CXXIV. & append.) esse. Sed in hac re, si nihil aliud, maximeque recta, debilitans ad hanc causam accessit, si stimulatrice curatione debilitas sistitur, corpus roboratur, vasorum laxitas demitur; malum omne propediem decedet, salus redibit. Contra, cum haec noxa non praecessit, & aliae recta debilitantes admotae sunt; cuiusmodi ea sunt, de quibus supra (CXXIV. relatum, magisque, si sanguinis & aliorum humorum detractionibus, inedia, victuve e plantarum genere & aquosa potione parato, morbi tractantur, tum longi, molesti, diri demum & tandem exitiales evadunt. Quos in debilitate positos, huius curationis infelicitas relata; stimulatricis felicitas documento est. Vera profluvii sanguinei causa est, non plethora, quae in male nutritis aquae potatione, & aliis noxis, pariter tonum & densitatem vasorum delentibus, incidere non potest. Cum enim

cibus sola fere materia sit, unde sanguis efficitur; qui, hoc negato, deficiente causa, superare effectus potest? Quod si propter aliarum noxarum debilitantem effectum, quod cibi assumptum sit, id non digeritur, unde sanguis abundet, & non manifeste deficiat? At sanguinis iactura, & omne potestatum debilitantium genus, perspirationem imminuunt; hinc augetur sanguinis copia. Quo modo id fieri potest? Adsumitur in ventriculum materia, unde sanguis fit, & minus humoris per cutis foramina disperditur. Sed, primum non adsumitur; dein non digeritur, tum postquam serosa pars a rubra seiuncta est, an retenta, & in sauguinem regesta, rursus sanguis erit? Quae quaestiones, ad quas nulla respondendi potestas datur, etiamsi ullo modo viderentur ancipites; an alteram corporis partem vigere, ita ut sanguinem abunde faciat, alteram languere, ita ut corruptam eius partem, debitis meatibus auferre nequeat, credendum; & incitabilitatem toto corpore non eandem indivisam proprietatem (XLVII.), potestates in eam agentes non easdem (LII.) esse ducendum? Postremo, aut e nihilo materiam fieri concedendum? In quibus morbis pervulgata plethora (CXXXI.) subesse iudicata est? Non in iis, ubi ventriculus, ubi instrumenta digerentia, ubi sanguinem facientia, denique totum corpus vigent, ubi cibi avidissime cupiuntur, perfectissime digeruntur, in sanguinem vertuntur, scilicet in phlogisticis; sed in iis, ubi propter patentem toto corpore debilitatem, omnia corporis languent, & materia, sanguinis faciendi sola fere potens, aut non suppetit aut non mutatur. Sic podagra, apoplexia, epilepsia, paralysis, asthma,

hysteria, qui luxui quondam dediti sunt eorum dyspepsiae, denique ii ipsi, de quibus agitur, morbi haemorrhagiae, uti falsa in vocabulo definitione dicuntur, postremo longe maxima asthenicorum morborum pars, a plethora vel cum vigore, vel sine eo, ut causa contineri, omni fere tempore, ab omnibus rationalibus, quod nomen mollibus artis professorum auriculis mire placuit, existimata sunt. Verum enim vero, tam reliquos omnes, quam profluviales sanguineos, morbos a sanguinis penuria, & reliquis debilitantibus noxis pendere, confirmat antiphlogisticae curationis perpetua, in magnum medicinae opprobrium, infelicitas, incredibilis novae stimulatricis rationis felicitas. Quodque ad profluvia sanguinea attinet, respice iis afflictos, in noxis antecedentibus, in symptomatis. Per totum opportunitatis tempus, languiduli ciborum perexiguum vel cupiunt vel capiunt, quodque accipitur, non digeritur, saepe vomitu reiicitur. Non exercitationis imbecilli, non mentis, non animorum, qui prorsus pusilli fractique sunt, non aëris puri, non sensuum gratorum, non potionis merae, quae per medentium errorem veneno esse, altius in eorum animos descendit, non vasorum per idoneam sanguinis copiam distentionis, non secernentium vasculorum propter eorum inertem motum, degenerum ubique humorum stagnationem, & directam inde usque suborientem debilitatem, stimulis sustentantur. Quales pulsus sunt? Tales ac in omni manifestae debilitatis morbis, puta febribus; ubi, quod mirum est, raro praedilecta sua plethora ab illis est, tenues, debiles, celerrimi, & prope vacui sunt. Ad summam, quales mentis, quales ani-

mi, quales corporis, sive in sensu, sive in motu, vel voluntati, vel non parente, actiones sunt? Omnes infirmae, fragiles omnes, omnes eiusmodi, quae ne tertiam vitae partem subesse commoneant. Quales e contrario, qui sanguine abundantes, nunquam tamen eius experiuntur profluvia? Praevalidis viribus in omnibus actionibus sunt, vultu rubent, oculi micant, pulsus validi, duriusculi, modice frequentes percipiuntur. Avidi cibos cupiunt, capiunt, digerunt. Qui, ut nullius momenti stillicidia, nec saepe quidem experiri possunt, ita in nulla tamen sanguinis profluvia implicantur. Neque omnibus, quae dicta sunt, non congruum est, quod variae vini formae, eaeque prae caeteris, quae validissimae sunt, quales spiritus nominantur, contra omnium hactenus opinionem & praeiudicatas sententias, mire felicia, adversus sanguinis profluvia, remedia sunt, feliciora opii praeparata. Quae res, nullum in profluviali motu motum nimium, molimen nullum, ut aiunt, haemorrhagicum subesse, contra naturalem vim motricem deficere, demonstrat. Eiiciendae igitur morborum phlogisticorum numero falso explicatae, falso nominatae haemorrhagiae sunt, ad asthenicos morbos haemorrhaearum vocabulo relegandae.

CCXXXIII Si quis primum sicca magis tussis difficilioreque, dein humidiore, expeditiore tum sputis largis supervenientibus, prehenditur; si raucedo, primum obstrictior, dein procedente tussis humiditate, solutior simul incidit; si thorax circumcirca per totam pulmonum regionem, diffusi doloris aliquanto premitur; si vel nullus vomitus est, vel is convulsivo, tussis in sputa desinentis, motu videtur ita ex-

pressus, ut aut non redeat, aut sponte redire non contendat; si vires aliter valent, & pulsus validi, pleni, plus minusve duri, sanorum crebritatem non multum exsuperant; talis casus phlogisticus esse, & a calore & omnibus stimulis pendere (CXIII. CXIV. ad CXXIII.), a frigore & omnibus auxiliis debilitantibus (CXXIII. ad CXXVII.) solvendus invenietur. Quorum symptomatum causa est diathesis phlogistica, toto corpore vigens, in hoc summo, maximeque in faucibus (CXIII.) vigentior. Eadem, ubicunque occurrunt, eodem explicanda modo sunt. Ergo symptomata catarrhalia, quae rubeolae necessaria para sunt, eandem prorsus explicationem (CXIV.) recipiunt, & tam illa, quam totus morbus a nimia incitatione proficisci, ratione debilitatrice tolli, intelligenda sunt. Idem de catarrho contagioso dicendum. Quibus in omnibus periculum facile factu est. Da vini vel spiritus gallici cyathum, da opii paulullum; crescet raucedo; difficilior & adstrictior tussis erit, sputa pro tempore supprimentur. Da frigidam potui largius, expedientur omnia. Saepe compotationis initio tussiens, huius cursu, tussi liberatur. Quod ideo fit, quia diathesis asthenica causa fuit, quam potio in phlogisticam pro tempore vertit. Saepe in poculorum fine tussis, & perquam vehemens eo repetit, quod iam diathesis phlogistica longius processit. Quam frigidae haustus, poculorum finis, incitationem nimiam sistendo cohibet.

CCXXXIV. Unde eadem, uti vulgo esse credita sunt, symptomata prorsus diversa tamen adparent. Quod pleniore explicatione manifestum erit. Si quis igitur plurimum tussit, plurimum spuit, vel cum rau-

cedine primum, dein postea, vel per totum cursum, sine hac, si aetas multum provecta, vel confecta est, si habitus debilitatus, si pulsus neque validi, neque pleni, & perquam celeres sunt, si huic concursui vel recta vel indirecta debilitas, ut in ebrietate longa, in luxuriosa vita fieri solet, antecessit; scire licet omnia haec symptomta asthenica esse, auxiliis stimulantibus tollenda.

CCXXXV. Tussis siccae, raucedinisque explanatio clara est, talisque qualis ante relata (CXIII. CXIV. CLX.): Tussis humida, & sputorum origo prorsus huic contraria est (CXXVIII. CLXI.). Sive enim recta, sive corpus eventu debilitatum est, ut summe toto corpore minuitur incitatio, summe viget ubique debilitas, ita in vasorum genere tonus ubique, proque ratione densitas, sed maxime in extremis arteriarum, a motus centro maxime dissitis finibus, eoque prae caeteris omnibus in vasculis perspiratoriis imminuitur. Quo facto, incredibile dictu est, quanta humoris per sputa vis reiiciatur, & tanta quidem, quantam nulla in phthisipneumonia sputorum profusio, quantumvis larga, superet, vixque quidem exaequet.

CCXXXVI. Cuius, quoties a recta debilitate pendet, curatione utiquam difficilis est, nisi iam extra metam morbus (CIX.) processit, ad finem vita propinquat. Quae utique in indirecta debilitate haud paulo difficilior eo est, quod sola stimulatrice ratione tollendum malum est, quod nimia stimulatricis noxae vis effecerit (CIII.). Quin & eadem, ut postea dicetur, debilitas, eandem tam bronchiorum, quam totius reliqui corporis resolutionem, non semper, nec initio unquam phthisipneumoniam cre-

at. Cum hac sputorum, modo in febris, modo in podagrae forma, prodeunte profusione, saepe diu diffusibilibus maxime stimulis ita pugnatur, ut locale pulmonum vitium, quod adeo medici credunt metuuntque, nullum intus esse, integerrima salus reducta fidem faciat.

CAP VII.

De somno et vigilia, sive salutaribus, sive morbosis.

CCXXXVII. Ut mors totius vitae, sic uniuscuiusque fere diei somnus opera claudit. Utque illa penitus extinctam incitationem, incitabilitate vel abundantissima vel prorsus deleta; sic hic imminutam, vel abundante incitabilitate, sed ita ut deleri, incitatio renovari possit, vel eadem deficiente, sed ita ut eius cumulandae copia sit, incitationem sequitur.

De somno.

CCXXXVIII. Ea incitabilitatis animantium natura est, ut neque abundare (XXIV. XXXVIII.), neque deficere (XXVIII.) sine detrimento possit; abundantia rectam (XXXV), defectus indirectam (XLV.), debilitatem pariat. Utque quaevis potestas incitans, ultra metam producta, hanc, quaevis submota, illam procreat; ita idem de nimio parcove plurium vel omnium usu dicendum. Nimia plurium vis somnum

hoc indicio manifestum est; quod, si debilitas vera esset, opifera stimulantia (LXXXVIII. XC.) debilitantia veneno (XCI.) forent. Quod prorsus contra est. Nam eadem debilitantia, quae reliqua manifesta nimiae incitationis symptomata, hanc quoque motus impotentiam solvunt, contraria malum augent.

CCXXVIII. Rursus in spasmis & convulsionibus sive motuum involuntariorum in interioribus locis, ut in dyspepsia, in podagra, in colica, in dysenteria, in cholera, in hysteria, in quovis vehementiore sive vomendi, sive desidendi impetu, quales adfectus plurimi sine nominibus quotidie incidunt; sive voluntati parentium, extrinsecus, ut in trismo, in tetano, multisque aliorum locorum spasmis; aut in convulsione, epilepsia, & aliis multis adfectibus convulsivis; si actiones istae plurimum auctae videntur, id non ex aucto robore, id est aucta incitatione fieri, duplice quoque argumento cuivis aequo iudici probabitur; quod, si hic aucti vere roboris casus esset, debilitantia, seu diatheseos phlogisticae (XC.) remedia eum solverent, stimulantia non ad indirectam usque debilitatem procedentia, sed intra eum modum, quo astheniam solvunt, subsistentia intentarent. Cui tamen prorsus contrarium verum. Nam sola debilitantia, quae reliqua confessae debilitatis signa, hos spasmos & convulsiones quoque tollunt; stimulantia nocent.

CCXXIX. Quia quid sit contractio, vel quaevis fere vivorum corporum actio nesciatur; ideo an hic contractio aucta an imminuta sit, non pugnabitur (LVII. LVIII. LIX.); sed hos spasmodicos & convulsivos motus actionem imminutam esse, id demum

vehementer contenderur. Nam si intra certos fines (XXVII.) aucta incitatio roboris, plus, imminuta minus (XXIII.) edit, & omnis sic suboriens actio pro incitationis, fine (XXVIII.) relato conclusae, augmine augeri, pro eiusdem ad finem (XXXVIII.) dictum defectu minui, recte definitur; hic igitur actio minuta (CCXXVII.), aucta illic rectissime definitur.

CCXXX. Falsa igitur omnis de iis motibus (CCXXVII. ad CCXXX.) hactenus recepta notio est; tanquam a nimio in fibras, spasmo vel convulsione laborantes, humoris, ut prius loquebantur, vel potestatis, qui nunc sermo vulgatur, nervosae influxu, id est, siquid omnino significat, a nimia in fibris relatis incitatione, proficiscerentur. Utque error, ut logici aiunt, errorem trahit; sic haec notio in alteram falsam de opii opere seduxit. Cumque motus nimios e nimio vitae, saltem in partibus laborantibus, principio concitatos, inscite satis iudicarent; ita illud ea virtute esse, quae ad eos compescendos, seu sedandos motus accomodaretur, contra totam rerum rationis similitudinem, contra omnium potestatum incitantium, quae omnes stimulare, nullae sedare (XVII. XIX. ad XXIII. probatae sunt, certam fidem existimaverunt, aut alios docuerunt. Quod si nihil in rebus, iis saltem quae corporibus animalium admoveri solent sedare, ulla ex parte incertum esset; quo modo de opio incertum esse potest, nedum contrarium certum iudicetur? Nonne id idem apud Turcas, ac apud nos vinum valet? Aut e contrario eius populi milites in praelium proficiscentes, eo consilio opii copiam mandere, ut naturales ipsorum

iudicatorio signo habitum est. Quod utique nihil aliud, quam diatheseos phlogisticae remissionem, in indirectam debilitatem proclivitatem, significat. Qui effectus cito plerumque recedit, convalescentem statum, mox salutem relinquens, raro in confirmatam debilitatem transiens. Non tamen sanguinis arte detractione, nec ullo purgationis genere sustentandus est, ne debilitatis periculum in veram hanc vertatur, profluvium in iustum morbum crescat, & alia debilitatis symptomata superinducantur.

CCXXXII. Magna & continuata sanguinea profluvia sive ex utero, sive ex ano, circave hunc, sive per nares in debilitate pura posita sunt. Sanguinis copia supra modum vasa distendens, & indirectam debilitatem constituens, potest aliquando prima causae origo (CXXIV. & append.) esse. Sed in hac re, si nihil aliud, maximeque recta, debilitans ad hanc causam accessit, si stimulatrice curatione debilitas sistitur, corpus roboratur, vasorum laxitas demitur; malum omne propediem decedet, salus redibit. Contra, cum haec noxa non praecessit, & aliae recta debilitantes admotae sunt; cuiusmodi ea sunt, de quibus supra (CXXIV. relatum, magisque, si sanguinis & aliorum humorum detractionibus, inedia, victuve e plantarum genere & aquosa potione parato, morbi tractantur, tum longi, molesti, diri demum & tandem exitiales evadunt. Quos in debilitate positos, huius curationis infelicitas relata; stimulatricis felicitas documento est. Vera profluvii sanguinei causa est, non plethora, quae in male nutritis aquae potatione, & aliis noxis, pariter tonum & densitatem vasorum delentibus, incidere non potest. Cum enim

hysteria, qui luxui quondam dediti sunt eorum dyspepsiae, denique ii ipsi, de quibus agitur, morbi haemorrhagiae, uti falsa in vocabulo definitione dicuntur, postremo longe maxima asthenicorum morborum pars, a plethora vel cum vigore, vel sine eo, ut causa contineri, omni fere tempore, ab omnibus rationalibus, quod nomen mollibus artis professorum auriculis mire placuit, existimata sunt. Verum enim vero, tam reliquos omnes, quam profluviales sanguineos, morbos a sanguinis penuria, & reliquis debilitantibus noxis pendere, confirmat antiphlogisticae curationis perpetua, in magnum medicinae opprobrium, infelicitas, incredibilis novae stimulatricis rationis felicitas. Quodque ad profluvia sanguinea attinet, respice iis afflictos, in noxis antecedentibus, in symptomatis. Per totum opportunitatis tempus, languiduli ciborum perexiguum vel cupiunt vel capiunt, quodque accipitur, non digeritur, saepe vomitu reiicitur. Non exercitationis imbecilli, non mentis, non animorum, qui prorsus pusilli fractique sunt, non aeris puri, non sensuum gratorum, non potionis merae, quae per medentium errorem veneno esse, altius in eorum animos descendit, non vasorum per idoneam sanguinis copiam distentionis, non secernentium vasculorum propter eorum inertem motum, degenerum ubique humorum stagnationem, & directam inde usque suborientem debilitatem, stimulis sustentantur. Quales pulsus sunt? Tales ac in omni manifestae debilitatis morbis, puta febribus; ubi, quod mirum est, raro praedilecta sua plethora ab illis est, tenues, debiles, celerrimi, & prope vacui sunt. Ad summam, quales mentis, quales ani-

mi, quales corporis, sive in sensu, sive in motu, vel voluntati, vel non parente, actiones sunt? Omnes infirmae, fragiles omnes, omnes eiusmodi, quae ne tertiam vitae partem subesse commoneant. Quales e contrario, qui sanguine abundantes, nunquam tamen eius experiuntur profluvia? Praevalidis viribus in omnibus actionibus sunt, vultu rubent, oculi micant, pulsus validi, duriusculi, modice frequentes percipiuntur. Avidi cibos cupiunt, capiunt, digerunt. Qui, ut nullius momenti stillicidia, nec saepe quidem experiri possunt, ita in nulla tamen sanguinis profluvia implicantur. Neque omnibus, quae dicta sunt, non congruum est, quod variae vini formae, eaeque prae caeteris, quae validissimae sunt, quales spiritus nominantur, contra omnium hactenus opinionem & praeiudicatas sententias, mire felicia, adversus sanguinis profluvia, remedia sunt, feliciora opii praeparata. Quae res, nullum in profluviali motu motum nimium, molimen nullum, ut aiunt, haemorrhagicum subesse, contra naturalem vim motricem deficere, demonstrat. Eiiciendae igitur morborum phlogisticorum numero falso explicatae, falso nominatae haemorrhagiae sunt, ad asthenicos morbos haemorrhaearum vocabulo relegandae.

CCXXXIII Si quis primum sicca magis tussis difficilioreque, dein humidiore, expeditiore tum sputis largis supervenientibus, prehenditur; si raucedo, primum obstrictior, dein procedente tussis humiditate, solutior simul incidit; si thorax circumcirca per totam pulmonum regionem, diffusi doloris aliquanto premitur; si vel nullus vomitus est, vel is convulsivo, tussis in sputa desinentis, motu videtur ita ex-

pressus, ut aut non redeat, aut sponte redire non contendat; si vires aliter valent, & pulsus validi, pleni, plus minusve duri, sanorum crebritatem non multum exsuperant; talis casus phlogisticus esse, & a calore & omnibus stimulis pendere (CXIII. CXIV. ad CXXIII.), a frigore & omnibus auxiliis debilitantibus (CXXIII. ad CXXVII.) solvendus invenietur. Quorum symptomatum causa est diathesis phlogisticae, toto corpore vigens, in hoc summo, maximeque in faucibus (CXIII.) vigentior. Eadem, ubicunque occurrunt, eodem explicanda modo sunt. Ergo symptomata catarrhalia, quae rubeolae necessaria pars sunt, eandem prorsus explicationem (CXIV.) recipiunt, & tam illa, quam totus morbus a nimia incitatione proficisci, ratione debilitatrice tolli, intelligenda sunt. Idem de catarrho contagioso dicendum. Quibus in omnibus periculum facile factu est. Da vini vel spiritus gallici cyathum, da opii paululum; crescet raucedo; difficilior & adstrictior tussis erit, sputa pro tempore supprimentur. Da frigidam potui largius, expedientur omnia. Saepe compotationis initio tussiens, huius cursu, tussi liberatur. Quod ideo fit, quia diathesis asthenica causa fuit, quam potio in phlogisticam pro tempore vertit. Saepe in poculorum fine tussis, & perquam vehemens eo redit, quod iam diathesis phlogistica longius processit. Quam frigidae haustus, poculorum finis, incitationem nimiam sistendo cohibet.

CCXXXIV. Unde eadem, uti vulgo esse credita sunt, symptomata prorsus diversa tamen adparent. Quod pleniore explicatione manifestum erit. Si quis igitur plurimum tussit, plurimum spuit, vel cum rau-

cedine primum, dein postea, vel per totum cursum, sine hac, si aetas multum provecta, vel confecta est, si habitus debilitatus, si pulsus neque validi, neque pleni, & perquam celeres sunt, si huic concursui vel recta vel indirecta debilitas, ut in ebrietate longa, in luxuriosa vita fieri solet, antecessit; scire licet omnia haec symptomta asthenica esse, auxiliis stimulantibus tollenda.

CCXXXV. Tussis siccae, raucedinisque explanatio clara est, talisque qualis ante relata (CXIII. CXIV. CLX.): Tussis humida, & sputorum origo prorsus huic contraria est (CXXVIII. CLXI.). Sive enim recta, sive corpus eventu debilitatum est, ut summe toto corpore minuitur incitatio, summe viget ubique debilitas, ita in vasorum genere tonus ubique, proque ratione densitas, sed maxime in extremis arteriarum, a motus centro maxime dissitis finibus, eoque prae caeteris omnibus in vasculis perspiratoriis imminuitur. Quo facto, incredibile dictu est, quanta humoris per sputa vis reiiciatur, & tanta quidem, quantam nulla in phthisipneumonia sputorum profusio, quantumvis larga, superet, vixque quidem exaequet.

CCXXXVI. Cuius, quoties a recta debilitate pendet, curatione utiquam difficilis est, nisi iam extra metam morbus (CIX.) processit, ad finem vita propinquat. Quae utique in indirecta debilitate haud paulo difficilior eo est, quod sola stimulatrice ratione tollendum malum est, quod nimia stimulatricis noxae vis effecerit (CIII.). Quin & eadem, ut postea dicetur, debilitas, eandem tam bronchiorum, quam totius reliqui corporis resolutionem, non semper, nec initio unquam phthisipneumoniam cre-

at. Cum hac sputorum, modo in febris, modo in podagrae forma, prodeunte profusione, saepe diu diffusibilibus maxime stimulis ita pugnatur, ut locale pulmonum vitium, quod adeo medici credunt metuuntque, nullum intus esse, integerrima salus reducta fidem faciat.

CAP VII.

De somno et vigilia, sive salutaribus, sive morbosis.

CCXXXVII. Ut mors totius vitae, sic uniuscuiusque fere diei somnus opera claudit. Utque illa penitus extinctam incitationem, incitabilitate vel abundantissima vel prorsus deleta; sic hic imminutam, vel abundante incitabilitate, sed ita ut deleri, incitatio renovari possit, vel eadem deficiente, sed ita ut eius cumulandae copia sit, incitationem sequitur.

De somno.

CCXXXVIII. Ea incitabilitatis animantium natura est, ut neque abundare (XXIV. XXXVIII.), neque deficere (XXVIII.) sine detrimento possit; abundantia rectam (XXXV), defectus indirectam (XLV.), debilitatem pariat. Utque quaevis potestas incitans, ultra metam producta, hanc, quaevis submota, illam procreat; ita idem de nimio parcove plurium vel omnium usu dicendum. Nimia plurium vis somnum

deficiens vigiliam, intra salutis fines efficit. Somnus igitur (CCXXXIV.) est actionum diurnarum, primum plus usque, sed minus uno quoque impetu incitantium (XXVI.) effectus, ita tamen, ut aliquid semper addat, donec eo perveniatur, ubi incitationis id, quod vigiliae necessarium est, amplius non existit. Cuius rei certissimum dicit testimonium vita nostra quotidiana, utpote quam omnium potestatum ratio confirmet: omnes ad somnum adducendum pertineant. Sic calor non ad extremum nimius, vel inde frigore ad stimulantem gradum reductus, item cibus, potio, labor, cogitatio, adfectuum exercitatio (X. ad XIII.), somnum omnia, dummodo intra stimulantem, citra indirecte debilitantem vim consistant, conciliant.

CCXXXIX. Contra, intra eosdem secundae valetudinis limites (CCXXXV.), frigus, non summum illud, quod mortem mox praecedit, inedia, vel parum alens (CXXVIII.), parum indirecto stimulo distendens (CXXVII.) materia, potio tenuis, ut thea, caffe, vel aquosa, praesertim post magis genialis usum, soliti laboris aut exercitationis, sive corporis, sive mentis intermissio, ex dedecore pudor, metus, animi dolor, vigiliam omnia, non satis versus indirectam debilitatem adpropinquando creant. Sed & omnia, quae aliter somnum pariunt, ad indirectam debilitatem (CXI. ad CXLVII.) nimio ad extremum opere provecta, idem etiam efficiunt. Sic crapula, sic ebrietas exquisita, labor aut mentis aut corporis, ingens adfectuum vis, aestus, omnia relaxans, somnum pellere nota sunt.

CCXL. Ut debilitas igitur sive recta, sive indire-

cta, sive partim mixta, iusti somni causa est, ita nimia haec, aeque ac incitatio vegeta somno inimica est. Solita exercitatione diurna lassus ilicet in somnum componitur; qui, quiete non excitatum, aut labore defatigatum, ex aequo refugit.

CCXLI. Vigiliam sanam parit ea potestatum incitantium vis, quae utrique media extremo neque nimis ad indirectam, neque ad rectam nimis debilitatem (CCXXXVI.) inclinat. Morbosam maxime recta, haud raro indirecta, saepe utraque mixta debilitas infert. Verum, quanquam vigiliae creandae praecipue potens directa debilitas sit, illa tamen vix unquam sine indirectae aliquo accidit.

CCXLII. In phlogisticis morbis vigiliae causa esse solet phlogistica coniuncto dolore diathesis. Unde tamdiu permanet vigilia, quamdiu circa indirectam debilitatem subsistit incitatio. Sed, quoniam doloris stimulus non eiusmodi est, qui potenter quidem, sed molliter universum corpus incitet, sed qui acriter partem urgens, in indirectam debilitatem ruat; igitur haec vigiliae finem imponere, somnum quacunque parere, cito solet.

CCXLIII. In asthenicis morbis vigilia rectam plerumque debilitatem sequitur; quod ideo fit, quia plus eo, qupo somnum facit, debilitatis morbos causa continet. Quo fit, ut quicquid stimulat, quicquid incitationem ad illud quasi punctum, quod artus in somnum componit, auget, id stimulatrice, non sedatrice virtute consopiat. In exigua debilitate, ubi paululum tantum infra somni punctum incitatio decidit, perexiguus stimulus, qualis cibi e carnea materia parati nonnihil, quale vinum, aut quaevis ae-

quae potentiae potio, qualis in maestitia consolatio, in frigore calor, in quiete sive corporis, sive mentis exercitatio lenis aut gestatio, vel iucundus cogitandi tenor sufficit. In maiore debilitate, nam causae modo curationis vis apeanda semper (XCII. XLIV.) est, aut relatorum stimulorum pro ratione plus, aut potentior aliquis, quales ii sunt, qui diffusibiles adpellantur, adhibendus.

CCXLIV. Haec magna opii virtus. Quae nullam propriam virtutem, nullam, quae non ei cum omnibus aliis potestatibus communis sit, possidet. Sic in magna debilitate, ut in febribus, ut in vehemente podagrae accessione, interiora cum gravi tumultu turbante, & aliis consimilis languoris morbis asthenicis, ubi morbi vi somnus arcetur, opium saepe, postquam multos dies vigilia permansit, altum & sincerum somnum inducit. Quo in casu, propterea quod incitabilitas plurimum abundat, eoque perexiguam stimuli vim perferre (XXIV. XXVI.) potest; igitur a stimuli minimo incipiendum, paulatimque ad plus, dein etiam plus progrediendum (CVII.); donec ad somni punctum, quod cito fiet, siquidem id multum intra rectae debilitatis fines consistit, demum perveniatur.

CCXLV. In asthenicis morbis, & indirecta debilitate natis, ubi somnus quoque fugatur; tam ad hunc reducendum, quam caetera morbi pellenda; salutem reponendam, cum alii stimuli pro debilitatis magnitudine, tum diffusibiles ubi illa maxima est, & ex iis opium, in auxilium arcessendi sunt.

CCXLVI. Haec sunt tempora & corporis conditiones, in quibus opium somno conciliando par est. In

reliquis omnibus sive secundae, sive adversae valetudinis statibus, tam corporis, quam animi & mentis actiones excitat, inter alias somnum fugat, agilemque parit vigiliam. Sic, si quem sine causa perspicua somnus incessit; eum illico miris modis alacrem, vividum & vigilantem, opium reddit; maestitiam pellit, fiduciam gignit, timorem in audaciam vertit, e tacitis disertos, ex ignavis fortes efficit. Nemo, desperatis suis rebus, & vitae taedio succumbens, sibi mortem, opiato sumpto, conscivit, aut consciscet. Uno verbo, per omnes medios, a recta ad indirectam debilitatem, quasi gradus, opium omnium fere potestatum longe potentissime stimulat, & sic in diathesi phlogistica nocentissimum sit necesse est; utpote quod reliquis nimiis stimulis additum, non solum somnum abigat, sed eos morbos e phlogistico statu in indirectam debilitatem, hanc in mortem, periclitetur praecipitare.

CCXLVII. Praeter somni casus relatos (CCXLVIII) alii sunt, ubi in eum proclivitas morbosa est, ut in comate, quod in febribus, in sopore, qui undeunde debilibus & imbecillis usuvenit. E quibus coma vigilia tutius & melius habetur symptoma. Neque eius rei causa obscura est. Si enim, vigilia morbosa CCXL. CCXLI.) debilitatis, eo in quo somnus positus est, plus significat, sopor vel coma in minore debilitate idcirco consistat necesse est. Minus autem debilitatis coma, quam vigiliam facere, illud quam haec, minus periculosum, solutu facilius, argumento est. Quod tamen, ubi paulo diutius permanet, aut profundiorem somnum refert, ne recta debilitando noceat, providendum. Quo in casu ad

vini opiique formas decurrendum eo scilicet consilio est, ut ad eam incitatio magnitudinem provehatur, quae, pulso statu soporoso, plus roboris pariat, & ad salutem cursu expediat.

CCXLVIII. In podagra, in dyspepsia, in colica, & plurimis malis asthenicis, canalem alimentarium prae caeteris locis turbantibus, qui huius canalis status puerperiis & lactationibus exhaustas potissimum adficit; somnus saepe multum, contraque bene valentium naturam adpetitur, producitur, neque eius indulgentia ad recreandum tamen pertinet. Idem iis, qui ex ebrietate, aut aliunde, in indirectam incidere debilitatem accidit. Quam somni cupiditatem a debilitate vel recta, vel indirecta pendere, hinc patet, quod quaecunque porro debilitant, ea morbum augent, quaecunque roborant, ea eundem tollunt. Inter quae potio valida omnis, item opii formae in primis efficaces sunt, tantoque reliquis stimulantibus magis, quanto eorum maior & diffusibilior vis stimulatrix est. Ea enim tam opii, quam cuiusque validi stimuli natura est ut quoniam omnem imminutam incitationem adaugent, ita quoties minor ea, quae ad somnum parandum habilis est, debilitas occurrit, hanc stimulis imminuendo, incitationem paululum intentando, somnum concilient. Cum eiusmodi debilitas est, ut haerens quasi in puncto somnifero, somnum non cesset creare; tum stimuli vis supra illud punctum tollens incitationem, & pro rata parte debilitatem minuens, somnum abigit, vigiliam vegetam reducit.

CCXLIX. Eadem cuiusque quidem, sed maxime validi stimuli in ea, quae vel colicam vel diarrhoeam

parit,

parit, debilitate vis est. Quae debilitatem tollendo utrumque pariter morbum tollit. Neque ab eadem somni vigiliaeque alienum ratione est, qua nunc ille, nunc haec certo stimulo vel pellitur, vel inducitur, quod nimii motus, quales spasmodici & convulsivi, de quibus sermo fuit, quales pulsus celeres illi in febribus, & alii sunt, pariter ac nulli, pari stimuli vi solvuntur. Unde non solum, quod enormis motus non auctae actiones sunt, non ab aucta incitatione pendent (LVII. LVIII.), sed & ob hoc, quod motus & quies, cum morbosa sunt, & in debilitate posita sunt, tum ab eodem eius gradu prope pendere saepe videntur. Denique corporum animalium naturas rite aestimanti, & hoc incitantium potestatum opus recte percipienti, nihil est; quare symptomata, sine illa contemplatione iudicioque, quicquam significare, vel ad ullam morborum naturae scientiam solidam ducere, sibi quisquam persuadeat.

CCL. Si qui igitur sunt, qui contra validissimam tantarum rerum fidem, ubicunqne motus aucti videantur (CCXLVI.), eos vere auctas actiones putent; ii, quemadmodum hoc se scrupulo expedituri sint, considerent. Idem adfectus cibi nullum desiderium est, idem, sed paulo maior, eius fastidium, idem, sed etiam maior, nausea, ac vomitus, sive cum spasmo & convulsivo motu, sive sine his, nisi quod post horum symptomatum adventum ad magnitudinis plus malum processit. Item in cynanche putrida (CCXII.) quam dicunt, ubi per maximam cursus morbosi partem talia sunt, qualia in cynanche tonsillari symptomata, atque etiam quietius & tranquillius procedunt, licet tum mitior, quam in fine,

morbus sit, & a minore adhuc debilitate pendeat; eadem tamen eius vera natura est, eadem a principio ad finem continet eum debilitas. Neque inter priorem morbi partem & novissimam illam, cum omnia in extremam ruunt debilitatem, praeter pulsuum nunc demum celeritatem & debilitatis augmen interest, ut nunc stimulantibus validioribus, quam ante, ad auctam debilitatem superandam opus sit.

CAP. VIII.

Utriusque diatheseos curatio.

CCLI. Ut causa diathesin utramque continens ea est, quae supra (CXLVIII. CXLIX.) relata; medendi igitur, inde trahendum consilium est, ubique corporis in phlogistica nimiam incitationem imminuere; in asthenica, deficientem augere, dum ad id, quod secundam valetudinem causa continet, perducatur (LXXXVIII.).

CCLII. In phlogistica id praestantia remedia sunt potestates, quae nimis stimulando eandem creant diathesin (CXVII. CXVIII. ad CXXIV. CXXVIII. ad CXXXI. CXXXIV. CXXXV. CXXXVII. CXXXIX. CXLI.-II. CXLIV. CXLVI), eo tenui & deducto stimulo, quo incitationis, quam secunda valetudo requirit, minus dent, seu debilitent (CXVII ad CXXIV. CXXVIII. ad CXXXI. CXXXIV. CXXXV. CXXXVII. CXXXIX. CXLI. CXLII. CXLIV. CXLVI. XC.) agentes. Quapropter, ut eaedem potestates nimio stimulo nocentes, stimulantia dictae sunt; sic eodem

deficiente iuvantes, debilitantia, utpote quarum nulla sedet, dicendae (XIX. ad XXIII.).

CCLIII. Quae idem (CCLII.) in asthenica diathesi faciunt, sunt potestates, quae parum stimulando hanc pariunt diathesin, ea stimuli magnitudine, qua incitationis ea, quae secundae valetudini quadrat, plus dent, seu stimulent incitantes (CXII. ad CXV. CXXIV. ad CXXVIII. CXXXI. ad CXXXIV. vid. & huc respond. append. CXXXVI. CXXXVIII. CXL. CXLIII. CXLV.). Unde sicut eaedem potestates stimuli defectui nocentes, debilitantia nuncupatae sunt, quae igitur stimuli magnitudine iuvant, stimulantia nominandae.

CCLIV. In diathesi phlogistica ea temperies, quae calor nominatur, omnino vitanda, quia solum eius quod debilitet, nempe nimium ad extremum, ad id magnitudinis perduci, sine noxae aut perniciei ex nimio stimulo periculo non potest (CXV.).

CCLV. Ubi vero diathesis, & hanc continens incitatio aucta, paulo lenior in iusti morbi statu est, eo caloris, quod sudorem vel tepidum pedum balneum comitatur, non interdicendum; quia plus aliquanto commodi in illo humoris iactura, in hoc gratus sensus promittunt, quam incommodi calor modicus minatur.

CCLVI. Ante omnia post frigus paulo intensius calor fugiendus, quod eius incitabilitate frigore reducta, validius opus evenit (CXXII.); hoc magis metuendum, quo magis alii eodem tempore instare stimuli solent.

CCLVII. Temperies hic opifera frigus est, quod nullus paulo maior calor excipiat. Corrigendus igi-

tur is in medendi usu error, quo frigus stimulando diathesi phlogisticae nocere creditur; idemque non tam magnitudine debilitante, quam vitato post eius opus caloris stimulo, variolae prodesse intelligendum. Idem eadem cautione adhibita, sive solum, seu cum aliis rebus debilitantibus coniunctum, catarrhi, quem calor aut solus aut frigori succedens, aut cum eo alternans, & alii stimuli faciunt, efficacissimum nuper repertum est auxilium.

CCLVIII. Unde, & quia pileum ex terra recens efossa confectum, in phrenitide profuit; idque frigoris, quod gelu & nivem facit, nudo corpori admotum, synocham cum delirio sustulit; adeoque idem adversus variolam valet; ob has causas in totum opportunitatis tot morborum, ex diathesi phlogistica pendentium, orbem profrendus frigoris usus.

CCLIX. Nullam noxam ab adstringente frigoris potestate credita, in diathesi phlogistica esse, argumento est maxima eius in variola, summo corpori incumbens vis, eo liberiorem perspirationem servans (CXXXIII. CXXXV.), quo maior ipsa sit. Eodemque pertinet atoniam cum pari laxitate gignens vis (CIII.).

CCLX. Ad asthenicam diathesin medendam caloris in primis utilis stimulus est, idque ob hanc potissimum causam, quod quanto in phlogistica diathesi noceat, nimiam iam incitationem insuper augendo, tanto hic, ubi minor iusto incitatio subest, auxilio sit necesse est. Hinc in febribus, in podagra, in dyspepsia, in colica, in rheumatalgia, & omnibus morbis asthenicis, corpus summopere calore fovetur, excitatur; frigore, quod debilitando in noxarum incitantium numero est, iufirmatur, hebetatur (CXX.); quod exitio in febribus est.

CCLXI. Ut quanto magis in diathesi phlogistica frigus prodest (CCLVIII.), tanto in asthenica nocentius est; ita idem, ob hoc porro, in summae debilitatis morbis vitandum est, quod calori similiter, extrema vasa relaxat, & humores putrefacit (CXVI.).

CCLXII. Quo certius diathesi phlogisticae, adhuc morbos facere tantum periclitanti, modereris, carne & confectis inde ciborum formis parcendum, ex plantarum genere paratis liberius utendum. Eandem diathesin, ad morbi modum auctam, carneae materiae maxime firmae astinentia, ex plantis maxime fluentis, non nimius usus, optime, quantum cibi administratio valet (CXXVIII.), adimunt.

CCLXIII. In huius diatheseos parte condimenta fugere praestat (CXXIX.); quae in morbis veneno sunt.

CCLIV. Eidem potio aquosa convenit, meraque omnis obest, eoque magis, quo plus alkoholis contineat (CXXX.). Eadem, nisi perquam imbecilla, in morbis perniciei est. In quibus cerevisiae tenui, quam magnus auctor recepit, aqua simplex & pura, magisque adiecto acido praestat.

CCLXV. Quoniam indirectus cibi stimulus rectum adiuvat, id est, per totum corpus stimulum dimittit, ideo etiam convenientis materiae moli finis statuendus (CXXVII.).

CCLXVI. In omni diatheseos asthenicae parte, cibus, e plantarum genere paratus, vitandus; ad eum, qui ex carne, vel carnea materia constat, quam primum fugiendum. Cumque hoc raro protinus ob ventriculi debilitatem fieri possit; diffusibilibus igitur stimulis, ut vini formis in minore, opiatis in maio-

re debilitate sic erit utendum, ut ab ipso tamen initio iuscula lauta largius ad summam ingerantur, dein paulatim ad firmioris eius materiae usum decurratur.

CCLXVII. Quemadmodum hic carnea materia (CCLXVI.) iuvat, ita stimuli id, quod condimenta adiiciunt, effectum eius promovet.

CCLXVIII. In morborum asthenicorum periculo nocet aquosa potio, prodest meracis tantum, quanto ad debilitatis gradum opus erit (C.). Post vero ipsos iam factos, iamque vehementer grassantes, eadem merax potio ita necessaria est, ut exceptis iusculis (CCLXVI.), & diffusibilioribus etiam stimulis, sola diu conveniat. Nullus indirecti ciborum stimuli, ubi quae eum maxime praebet, materia nempe e plantis petita cavetur, metus est (CCLXV.).

CCLXIX. Ad stimulum, quem longe lateque chyli & sanguinis abundantia corpori recta admovet, imminuendum, haec, ubi maxima est, per inediam, sanguinis detractione & alvi purgatione tollenda. Ubi modica magis in morbis est, supra (CCLV. & seq.) praecepta, minorem diathesin spectantia, servanda; scilicet alvi subinde purgatione, cibo parciore standum, sanguis non demendus; & si qua paulo plenior cibus erit, per exercitationem lenem & frequentem perspirationi consulendum.

CCLXX. Haec eadem (CLXXXVIII.) nimiae sanguinis, quantum ab abundantia pendet, velocitati medebuntur. Quam a motu corporis vehementiore (CXLII.) pendentem, in diathesi minore, opportunos morbis faciente, hisve implicante, exercitatio parcior, quietis plus, & aliorum stimulorum minus, im-

minuent. In maxima, quae graves morbos causa continet, diathesi, ad tardandum sanguinem omnium potestatum incitantium stimulus accurate cavendus, sanguis profundendus. Quietem vero, quae vel invitis aegris necessario servatur, praecipere supervacuum.

CCLXXI. Quem stimulum secretorum humorum in ductibus excernentibus abundantia distendendo praebet, hanc creantia sublata tollunt. Sit igitur frequentior concubitus, auferatur lac, cibus minus alens sumatur, reducatur, soluta phlogistica in summo corpore diathesi, perspiratio (CXLIV.).

CCLXXII. Ad debilitatem, & in vasorum genere atoniam laxitatemque, quam longe lateque chyli & sanguinis penuria praebet, adimendam, primum stimulis diffusibilibus iusculisque (CCLXVI.) paulatim robur pariendum; dein his paulatim parcius, cibis firmis uberius utendum; postremo, quo validius corpus fit, exercitatione id & aliis diuturnioribus stimulis firmandum. Diffusibilioribus vero stimulis, non amplius quam pro debilitatis magnitudine, utendum est.

CCLXXIII. In imbecillo tam vasorum, quam reliqui corporis statu, motus omnis corporis paulo intensior, omnesque alii stimuli, qui sanguinem percitant, & indirectam pro tempore debilitatem (CIX.) pariunt, arcendi. Cum vero levior debilitas erit, is motus, qui non fatigat, sed grato stimulo est, recreatque, non vitandus. Iam convalescens, aliquis, paulatim ad solitum vitae genus reducendus, & sine hoc salutem nunquam ab omni parte restitui, recordandum.

CCLXXIV. Quam debilitatem (CCLXXI.) secre-

torum humorum penuria, vel in ductibus excernentibus copia, natura degener, creant; eam, de qua (CCLXXII. ad - IV.) relatum est, stimulatrix ratio, non antiseptica (CXVII ad CXVIII.) tollit.

CCLXXV. Conveniens eius, quem cogitatio, sive vehemens, sive assidua fert, stimuli remedium cogitationis remissio est eave contentio, sive magnitudo, sive frequentia spectetur, quae incitabilitatem consumendo, eventu demum debilitet. Quod praeceptum, ut opportunitati convenit, ita exorto morbo, maxime vehementiore, parum tutum omittendum; quia nullus ad fructum eius, nisi per mediam illam stimuli magnitudinem, quae nimiam iam ante incitationem augendo noceret, aditus esse potest.

CCLXXVI. Ad minori in opportunitate diathesi sthenica medendum, & morbo occurrendum, adfectuum consuetudo vitanda; ad morbum tollendum, primus quisque impetus prohibendus. Eorundem extremus, eventu debilitans effectus, propter medium nimis incitandi periculum, nullo modo quaerendus (CXLVI.).

CCLXXVII. Quantum (CCLXXV.) a mentis labore vel languente usu debilitas pendet, ille minuendus, hic augendus, & gratus cogitandi tenor instituendus. Quin sine hoc, quantumvis omnia reliqua stimulantia sint usurpata, nullam ab omni parte perperfectam salutem fieri, pro certo est habendum.

CCLXXVIII In omni debilitate adfectuum vis, indirectam debilitatem ferens, vitanda est; & ad id perexiguam eorundem magnitudinem sufficere, non est obliviscendum. Adfectus grati, quale repentinum gaudium est (XLIII.), non laxis habenis permittendi (CXLI.).

CCLXXIX. Qui, ubi deficiunt, ut in tristitia, animi dolore, motu, terrore, desperatione, qui tantum laetitiae, fiduciae, spei, minores quasi gradus sunt, & adfectuum excitantium imminutionem tantum significant (CXLII.), pellendi sunt, excitantes revocandi; spes, fiducia infundendae, paulatim ad laetitiam progrediendum.

CCLXXX. Hae potestates, eaedem genere, quae diathesin utramque facientes (CLXXVI. ad CXCII.), magnitudine tantum differentes, & hac prorsus oppositae, rarius & minus prospera singulae, saepius & secundiore eventu plures, omnes optime, ubi magna ope opus est, coniunctae, easdem solvunt diatheses.

CAP. IX.

Curationis sthenicae inter se partium comparatio.

CCLXXXI. Ut in diathesi phlogistica, potentissima omnium sanguinis detractio est, quippe quae tanto validiorem, quanto latius corpori recta admotum, stimulum penitus auferat; ita, quoties diathesis maxime viget, fusius utenda, & nunquam in opportunitate, parcius aut non omnino in lenioribus morbis periclitanda, aliisque auxiliis postbabenda.

CCLXXXII. Cui proximum momentum frigus, capto post ejus opus calore & aliis stimulis, in curatione sibi vindicat. Semper nocet calor, magis post frigus, maxime, etiam cum aliis stimulis nimiis coniunctus. Semper prodest & pro magnitudine sua fri-

gus, si alienus stimulus eius operi mixtus aut succedens, idque superans, calide evitetur.

CCLXXXIII. Tertium ab his (CXCIII. CXCIV.) alvi purgatio dignitatis locum occupat. Quae diathesin phlogisticam potenter solvit, eoque sanguinis profundendi, saepius vero creditae necessitati cum magno commodo supersedet. Eadem sola ad salutem saepe satis.

CCLXXXIV. Cum omnibus his una victui, cuius stimulus accipiendo ab iis fructui obstat, pro diatheseos modo parcendum. Quod opportunitati semper, saepe morbis, iis scilicet quos minor, aut vitae lenior diathesis continet, solvendis solum habile est.

CCLXXXV. Cum omnibus etiam in morbis quies, in opportunitate motus moderantia, coniungenda.

CCLXXXVI. Pessimus vulgi medici mos est, quod uni alicui illorum auxiliorum nimis insistit, reliqua omnia omittit, aut incuriosus praecipit. Soli sanguinis, ne in peripneumonia quidem, detractioni credendum, sed omnia reliqua simul aut serie in orbem adhibenda. Uno verbo

CCLXXXVII. Actiones perturbatae, vel non debilitante causa deminutae (CLIV. CLV.) communem curationem (CLXXV. CLXXVI.) & nullam aliam requirunt.

CCLXXXVIII. Debilitatis signis, diatheseos phlogisticae vehementiam, progrediente morbo; sequentibus & mortem indirecta debilitate minitantibus, auxiliis mature adlatis occurrendum.

CCLXXXIX. Eadem matura curatio ad suppurationem, effusionem, & gangraenam, quae ex nimia ad extremum incitatione, in indirectam debilitatem tran-

seunte, nascuntur, prohibendas pertinet (CLXIII. ad CLXIX.).

CAP. X.

Eadem asthenicae curationis partium comparatio.

CCXC. In asthenica diathesi, & morbis inde pendentibus, potentissima cum ad eam tandem aditus est, sanguinis reducta copia est; quippe quae tanto validiorem, quanto latius corpori recta admovetur, stimulum restituat (CCLXXXI. CXXXI. ad CXXXVI.). Ob quam causam, cum in omni debilitatis gradu cibi, unde solus fere sanguis fit, tanto minus aut sumitur, aut digeritur, quanto maior debilitas est; igitur tantum, talique forma, quantum & quali accipi, acceptum digeri potest, primo quoque tempore sine mora dandum; eoque carnea materia firma, si debilitas minor est, parcius unoquoque tempore, sed saepius data convenit. Ubi maior debilitas est, & caro firma neque sumi, neque sumpta digeri potest, iuscula indidem confecta; quam maxime pinguia, diligentissime praebenda. Quo vero magis ventriculus excitetur, & ad cibum relatum recipiendum, digerendum habilior reddatur, stimulantia diffusibilia, qualia vini genera sunt, magisque etiam opiata & consimilis potentiae reliqua, sunt assidue, & in recta debilitate (CVII.) parcius prius, dein usque largius adhibenda; iisque paulatim decedendum, perstantibus & naturalibus stimulis, paulatim & pro rata parte largius utendum. In indirecta debilitate a maxi-

mo ad minimum stimulum diffusibilem, ut supra (CIII.) relatum est, paulatim quoque pergendum, inversoque ritu a minimo ad maximum stimuli perstantis usu progrediendum. Postremo in illa mediocri, e qua ad asthenicos morbos opportunitas constat, debilitate, sanguinis copiam summum salutis praesidium esse; & propterea languenti cibi desiderio non esse cedendum, semper in animo tenendum.

CCXCI. Humori vitali, de quo verba modo (CCLXXXVII.) facta sunt, proximum in asthenicae diatheseos curatione auxilium calor est; utpote quo nascentes animantes, crescentes, maximeque consenescentes, in vitam producantur, alantur, & vigorem adquirant; dein labescentes, donec omnis extinguatur incitatio, sustineantur. Per calorem intellige id externae temperiei punctum, quod frigori quod dicitur, & ardori qui dicendus est, medium intercedit; sub quo temperiei sensus gratus & iucundus est; sub quo neque resolutione illa, quae sudorem facit, neque torpore illo, quem frigus gignit, corpus illic eventu, hic recta debilitatur; sub quo totius corporis actiones excitantur, producuntur, & quasi in aprico confoventur; sine quo omnes alii stimuli nihil valent (XL.).

CCXCII. Talis temperies omni corporis statui convenit, sed debilitati sive rectae, sive indirectae etiam magis; propterea quod, incitatione aliunde deficiente, eo magis hoc stimulo, qui multis aliis paratu facilior est, opus erit. Hinc tam in aliis magnae rectaeque debilitatis morbis quam in febribus potissimum, summo calor auxilio reperitur, praeque caeteris in omnibus iis eiusmodi malis, quae faciendi frigus prae-

cipue particeps fuerit. In iisdem summa cura fugiendum frigus, quod recta semper debilitat (XXXIX. CXVII. CXVIII.), nunquam nisi in phlogisticis morbis, iisque qui in cursu ad indirectam debilitatem sunt, adiuvans (CXX.). Cavendus pariter in omni diatheseos asthenicae parte calor nimius; qui, aeque ac frigus, debilitat, aeque vasorum atoniam, laxitatem, gangraenam (CXII.), perque inertem vasorum statum, humorum stagnationem & corruptionem generat (CXVIII.).

CCXCIII. Quemadmodum vasorum repletio maximum eo remedium est, quod rectus eius stimulus corpori tam late admovetur, ei igitur calor, qui universo summo corpori protinus incumbit, universum recta adficit, virtute proximus sit necesse est.

CCXCIV. Ut supra & infra purgatio, item sudor (CCLXXXIII.), adeo potenter debilitante, ut tertium in diatheseos phlogisticae curatione sibi locum vindicent; pariter igitur in asthenica diathesi, eodem debilitante opere noceant, pariter ea sistentes stimuli, eoque tam alii, quam prae ceteris omnibus, diffusibiles, opiferi sint necesse est.

CCXCV. Ut stimulorum hac in re percurratur ordo, a levioribus his humorum amissionibus incipiendum, & ad graviores, aliaque mala etiam vehementiora procedendum. In leviore alvi solutione, qualis in opportunitate ad asthenicos morbos, hisve levioribus usu venit; cibis e plantarum genere confectis, & potione imbecilla vel aquosa, aut intus fermentante, cuiusmodi vini formae ex hordeo paratae, quae cerevisiae dicuntur, abstinuisse; carneam, quam optime conditam, quam maxime lautam, puram, & pinguedinis

expertem sumpsisse, vinum meracius vel e saccharo & aliunde destillatione paratum, plus minusve validum adhibuisse, leniusque & saepius exercitatum esse, plerumque satis erit.

CCXCVI. Ubi fusior adhuc alvus est cum torminibus & doloribus, ut in diarrhoea graviore, in dysenteria; ubi cum deiectionibus vomitus quoque coniungitur, vel sine his alvi turbis vomitus molestus urget; aut hic cum madore in cute aut sudore macerante coniungitur; sudorve solus urget, vires conficit, corpus exhaurit & attenuat; in omnibus his casibus ad stimulos, quam maxime diffusibiles, protinus est fugiendum; & tantae corporis attenuationi, obviam eundum.

CCXCVII. Qua in re tanto magis stimulorum usus erit necessarius, quod huiusmodi excretiones auctas aliae notae malae comitari solent (CXCV.). Quantum vero valeant, quamque potentem stimulandi vim possideant, eorum adversus haec & alia in febribus, & reliquis morbis asthenicis gravissimis, quin & in ipso ex ultima debilitate mortis articulo, singularis virtus ostendit.

CCXCVIII. Sic in spasmis, in convulsionibus, intus, extra, in sanguinis profluviis, (CLXXXIX. CXCVIII.), in diro febrium & aliorum morborum gravissimorum delirio (CXCVIII. CC. CCI.), in inflammatione asthenica, iis stimulis, quorum permanentior vis est, sessantibus, aut nequicquam agentibus, miranda diffusibiliorum, quorum praecipuum opium est, stimulorum virtus eminet.

CCXCIX. Ut igitur ea stimulatricis huius virtutis vis, ad fusam alvum, item vomitum, vel etiam su-

dorem, cum ea leviora sunt, & a minore causae vehementia pendent; compescendum pertinet; ita ea eiusdem potentia, quae gravissimis iis adfectibus (CXCV.) habilis compescendis, saluti reducendae, est, omnium, quae unquam corporibus humanis incumbunt, longe validissima est: quod vel hinc scire licet, quod, omnibus aliis, quibus vita sustentari solet, potestatibus nihil agentibus, ingruentis mortis impetum avertunt.

CCC. *Stimulorum* diffusibilium imbecilla maxime pars sunt, e vinis alba praeter madeirensem & canarensem, & rubra praeter oportoense; destillata sic diluta, ut illorum vix exaequent, superuntve paululum. His altiora sunt eadem haec mera; dein etiam altiora sunt, saepius destillata. Quae tanto usque potentiora sunt, quanto magis aquosa pars destillando expellitur, alkaholis plus relinquitur.

CCCI. Altiorem in serie locum sibi vindicant, moschus, alkali volatile, camphora, de qua minus adhuc periculum certum factum est, opium, denique aether, qui in medicina, sicut in mundo, summam sedem occupat. E quibus tamen omnibus, nisi ubi, ut aliquando usuvenit, morando vim stimuli perdidere, eoque, alius in alium, renovandi operis caussa, sufficiuntur, & per orbem quasi sic, ad extremam debilitatem propulsandum, itur, opii plerumque formae satis in omnes usus medicos sunt.

CCCII. Cum omnibus his (CCLXXXIV. CCC. CCCI.) una victus ratio habenda est. Cumque in magna debilitate, & in hac positis morbis, nihil in sola, quae convenit, materia, nempe, carnea, firmi accipi possit, igitur, sed fluens aliquid utendum,

validum, e carnea materia; iuscula parcius simul, pro debilitatis modo sed saepius, una cum diffusibilibus stimulis, item gelatinae, danda: Dein, ubi per diffusibiles maxime stimulos, vires ex parte redierunt, caro firma prius, parcius quoque saepiusque, dein largius, & ex longioribus intervallis, sumenda, a diffusibilibus paulatim, & eadem ratione, recedendum.

CCCIII. Cum iam diffusibiles stimuli prorsus omittuntur, convalescensque status solito victui, solito vivendi generi, eique, quam bene valentes servare solent, administrationi, sic permittitur, ut maior tamen, ne quid culpae committatur, adhibeatur cura; omnis conatus ut redeunti, ita nondum confirmato, robori aptandus (G). Motus, primum gestatio, dein exercitatio lenior, sed crebrior, esse debet; & hanc semper, ea lassitudo, quae citra fatigationem sudoremve sit, finire; somnus neque diutius iusto, ne recta, neque non satis, ne eventu, debilitet, produci; cibi quam maxime alentes, sed non largius, ne ventriculi nimia adhuc incitabilitas, sine debito vigore deteratur (XXIV. XXVI., adsumi, sed saepius tamen, ut illa paulatim, quod, solum ad idoneum vigorem reponendum pertinet, imminuatur (ibid.), & demum ad semiconsumptam (XXV.) redigatur, repeti; caloris id, quod stimulo est (CXII.), adhiberi, nimius pariter & frigus, quia pariter debilitant (CXV. CXVII.), vitari; purus aër (CXLV.) quaeri, impurus (CXLVI.) caveri; mentis actio lenior (CXXXVIII.-IX.), adfectuum moderamen (CXL. CXLI.), sensuum iucunditas, parari CXLIII.-IV.); grata sodalitia, convivia laeta, celebrari; per amoe-

amoena loca iter factitari, a concubitu temperari.

CAP. XI.

Quomodo remedia variare debeant.

CCCIV. Ut noxae, morborum periculum vel ipsos facientes, aia in aliam partem (XLIX.), paulo gravius incumbunt, eaque pars plerumque est, quam, quaeque, recta adficiunt (XCII.), ita potestates, quae pro remediis adhibentur, quo certius communis effectus universum corpus attingat, alio, alia, dirigendae sunt.

CCCV. Male sanguinis, quae debilitantium remediorum potentissima (CCLXIX. CCLXXXIII.) est, detractioni soli cuiusvis morbi phlogistici curatio creditur; propterea quod, dum in vasis sanguiferis maioribus incitatio satis, forsitan nimis in extremis his & decoloribus, ut & reliquio toto corpore, parum, imminuitur. Nec eiusdem cum alvi purgatione alternatio perfectum curandi genus est, quia, licet in maioris sanguiferis vasis, innumerisque iis, quae suos in intestina profundunt humores, arteriolis sive exhalatricibus, sive muciferis, satis superque incitatio nimia solvitur; neque perspiratoriis tamen arteriarum finibus, neque reliquo corpori, par debilitandi vis adhibetur. Exempli gratia, quae in ventriculum ducunt, vascula suo distendente onere minus liberantur. Et etiamsi vomitus, qui male in phlogisticis malis omitti, in asthenicis moveri solet, cum duobus au-

xiliis modo relatis coniungeretur; ne hoc tamen, ad incitationis aequalitatem praestandam, satis esset; utpote cum idem in perspiratoriis vasculis, qui relatus est, incitationis status, ac in reliquo corpore non vasculari, maneret. In phlogisticis igitur adfectibus gravioribus, post imminutam diathesin, in levioribus, ab initio, humorum relatis detractionibus adiectus sudor aequaliorem incitationis imminutionem, perfectiorem morbi solutionem, praestabit. Nam, per hanc humoris detractionem, iam non solum e maioribus vasis sanguiferis, in interioribus corporis partibus, sed tam ex externae corporis, quam internae superficiei infinitis exitibus, humoris, ubique distendentis, & plurimum incitationis (CXXXI. ad CXXXIV.) parientis, immensa copia subducitur. Sed ne res quidem hic stat. Quoniam enim in levioribus malis phlogisticis cibi alentis (CXXIV.) multum, in omnibus iusto plus, adsumi potest; igitur, quantumvis sanguis, quantumvis caeteri humores imminuantur, si is cibus, qui solus (CXXXI.) ad sanguinem creandum pertinet, sumi non disinit, vasa etiam omnia pro sumpta copia iterum repleti, & nimiae incitationi fomite accendi, perstabunt. Ad quod incommodum prohibendum, & incitationem etiam aequalius toto corpore imminuendam, inedia vel materiae e plantarum genere sumptae (CXXVIII.), fluentisque concessio, maxime poterunt. Nec huc tamen res desinit. Si enim, omnibus quae praecepta sunt, cautis & firmatis, calor, stimulando nocens, extrinsecus ad summum corpus adspirare permittetur; is stimulus aliam incitationis, quantumvis caeteris curationis partibus bene & aequaliter imminutae, inaequalitatem

creabit. Quapropter, cum phlogistica diathesis adeo a caloris, cutem recta adficientis, stimulo pendeat (CXIII.), & hinc in cute prae caeteris locis vigeat; igitur, ad eam quam maxime aequaliter adimendam, vigenti propter calorem hic incitationi frigoris, antiphlogistica vis opponenda est. Cumque omnia demum fusius iam commonstrata, effecta sunt, ad aequalitatem tamen incitationis, secundae valetudini accomodae, reparandam, a mentis (CXXXVIII.), & adfectuum stimulis ut caveatur restat. Qui, ut plurimum, ad diathesin phlogisticam creandam, pertinet; ita cautus & prohibitus, ad eam solvendam & qualem, in qua salus integra posita est, incitationem reponendam, pariter valeat necesse est.

CCCVI. Si morborum phlogisticorum hactenus curatio, in sanguinis detractione, alvi purgatione, &, in paucis casibus, refrigeratione, constitit; & aliae, de quibus fusius (CCCV.) dissertum est, observationes vel in toto neglectae, vel leviter, obiter, & quasi nullius essent momenti, memoratae, nec in curationibus quae sic praecipiebantur, ad ullum principium redactae sunt; quantum eorum cognitio tam in medendi usu, quam ratione sit aucta, facile e supra (CCCIV.-V.) & alibi ante, per totum opus relatis, patebit; & nunc demum, tam naturam & rationem morborum phlogisticorum, quam medendi sive crassum imitatorium seu rationalem usum repertum exploratumque esse constabit.

CCCVII. Quod de noxis morborum periculum ipsosve facientibus (CCCIV.) dictum est, id non solum ad phlogisticas, sed etiam asthenicas pertinet. Quodque de asthenicis auxiliis dictum est, id de stimu-

lantibus dicendum. Quae ubicunque recta admoventur, magis eam partem, & aliam alia stimulant, incitationem adaugent.

CCCVIII. Sic in asthenicis morbis quo aequalius incitatio suscitetur, robur reducatur, maxime diffusibilibus stimulis (CCCI.) non fidendum solis est. Nam, ut ea toto corpore incitationen quidem, ita in ventriculo gravius augent. Hinc etiam a curationis initio cum nihil cibi prope accipi potest, & alii diuturniores, & naturales magis stimuli imperfectissime admoventur; tamen una cum illis iuscula (CCCII.) dentur, & quam primum ad firmam carneam materiam festinetur (CCCIII.) oportet, & ut idoneus stimulando calor admoveatur (CCXCI.) curandum est. Hac enim ratione tam internae, quam externae superficiei rectissime consulitur, & in duabus amplis ragionibus incitatio suscitatur. Quin & eodem modo vasorum inanitati, quae tanto magis in asthenicis morbis, quanto graviores sunt, obtin[illegible], paulatim obviam itur. Nam, ut in ea sanguinis, quae potentissima phlogisticos morbos noxa excitans est, copia, cito medendi sanguine protinus detrahendo potestas est; ita ad eam eiusden, quae in asthenicis malis maxime nocet, penuriam tollendam, & vasa replenda, sensim, paulatim, & gradatim quasi duntaxat aditus est.

CCCIX. Utraque sic corporis superficie (CCCVIII.) curata, & vasis ex parte repletis non satis tamen aequaliter augetur incitatio. Ad quod porro ex parte praestandum; eodem tempore maxime diffusibilis aliquis stimulus, puta quaevis opii forma (CCCI.), praebendus, & carnis alentissimae tantulum, quan-

tulum desiderari, sumi, digerique possit (CCCII.), adiiciendum. Carnis dandae ratio ex recente de iusculis explicatione manifesta est. Sed minoris stimulis diffusibilis usus ex hoc pendet, quod „ confectam quolibet uno stimulo incitabilitatem novus quilibet elicet" & sic, ut porro variet effectus, efficit.

CCCX. Hactenus motus, quo omnes musculi, qui potissimum in summo corpore siti sanguinem per venas ad cor contracti percitant, stimulus parum suppetivit, eoque tam propter vasorum inanitatem, quam ob sanguinis, deficiente hoc impulsu, tarditatem, incitatio non satis in omni hoc spatio suscitatur. Postquam igitur vires adeo refectae sunt, ut iam cibi lautiores uberius sumi, iam moveri prius alienis instrumentis, dein suis corpus possit, quorum illud gestatio, hoc exercitatio dicitur; tum in pluribus punctis incitatio porro tollitur, aequaliorque ad summam evadit.

CCCXI. Postremi qui ad incitationem toto corpore naturaliter exaequandam pertinent stimuli, a mentis actione, adfectuum vi, & aëris etiam maiore, quam qui in cubiculo clausis parabilis est, puritate (CXXXVIII. ad CXLVIII.) proficiscuntur. Quo in convalescendi statu, eadem, quae supra in phlogisticorum morborum decessione (CCCV.) dicta sunt prorsus conveniunt.

CCCXII. Asthenica curatio in omnibus eius partibus, sive ratio sive merus usus spectatur, & sive causa & excitantes noxae, sive medendi consilium & auxilia considerantur, prorsus nova est. An igitur universa, quae hactenus tradita est, doctrina medicinam hactenus coniecturalem, parum sibi constantem, sibi omnibus rebus repugnantem, ad iustam scien-

tiam, non mathematicis, quod unum tantum probationis genus est, sed naturalibus principiis redactam, certoque sensuum testimonio firmatam declarat?

CAP. XII.

Ut reliquarum omnium potestatum, in corpora viva agentium, eadem prorsus actio est, ita remediorum quoque prorsus eandem esse.

CCCXII. Quemadmodum communis potestatum incitantium effectus (XV.) idem prorsus esse, nempe vitae propria (X), id est sensus, motus, mentis actio, & adfectus animi compertus & exploratus est; quid enim calor, quid cibus, quid conditus hic, quid potio, quid sanguis, quid hinc secreti, decolores humores, quid aër e rebus externis, quid ex ipsius corporis actionibus contractio muscularis, quid cogitatio, quid animi adfectus aliud faciunt, nisi ut illas communes animantium actiones suscitent, servent, & ut causa contineant? Et quemadmodum omnium earundem potestatum idem etiam opus esse inde manifestum est; ad eundem enim effectum eandem causam, perpetua naturae lege tendere, dandum est. Porro, quemadmodum hoc opus in stimulando positum est (XVII. XXII.), iisque stimulus omnia vitae, secundam, adversam valetudinem, mediosque utrique gradus, qui ad morbos opportunitas dicuntur, creat (XIX.); idem quoque tam in phlogisticis quam asthenicis morbis auxiliorum opus esse fatendum. Si enim

nihil secundam valetudinem inter & phlogisticos morbos, praeter nimiam in his incitationem (XXIII.), nihil inter illam & asthenicos morbos, nisi deficientem in his (ibid.) incitationem interest, quid aliud adversus illos auxiliorum opus, quam ut nimiam incitationem imminuat (LXXXVIII.) adversus hos, nisi ut deficientem augeat (ibid.), esse potest?

CCCXIII. Quicqu id idem efficit, quod alterum aut plura, ut id idem quod haec, haec idem quod illud, aedoque omnia idem sint necesse est. In phlogisticis morbis sanguinis detractio, supra infraque purgatio, sudor, inedia, corporis, mentis otium, animi tranquillitas incitationem solam minuendo salutem moliuntur.

CCCXIV. In asthenicis malis, stimulantia maxime, quae minus diuturna, minus diffusibilia, quae diuturniora sunt, ut opium & alia summo stimulo praedita, & item varia vini genera, remedia sunt. Imbecillius & maiore mole stimulantia, ut cibus validus, hic conditus, sanguinis copia reparata, potio valida, sed pro victus parte sumpta, gestatio, tam corporis quam mentis exercitatio, erectus ad vigorem animus, solam incitationem intentando salutifera sunt.

CAP. XIII.

Omnes, quae vitam tuentur, potestates easdem esse.

CCCXV. Rursus, quae secundam ab omni parte valetudinem, potestates faciunt, tuentur, nonne

eaedem sunt, ac eae que nimia vi phlogisticos affectus, deficiente asthenicos, & ad utrosque opportunitates, consimili ei, qua quaeque suos morbos, vi alteris maiore, alteris minore creant?

CCCXVI. Porro, ut omnia supra tradita docent, quae noxae morbos phlogisticos faciunt, eae asthenicorum remedia sunt; & quae noxae hos faciunt, eaedem illos tollunt.

CCCXVII. Sunt igitur omnes potestates, ullum vitae statum (IX.) sustinentes, eaedem genere, magnitudine tantum variantes (XXXIII. LXVI.); quod & de morborum auxiliis verum est (LXVII. LXXX. LXXXIX, ad XCIII.). Talis animantium vita (IX.) est. De qua quaecunque dicta sunt, eadem omnia ad plantarum vitam pertinent.

CCCXVIII. Sic, ut animantibus in omni vitae statu suae potestates incitantes (X. ad XIII.) in opportunitatibus & morbis suae noxae excitantes (LXII. LXVII. LXVIII. LXIX LXXIII), in morborum curatione suum utrique medendi consilium (LXXXVIII.), sua remedia (LXXXIX. XC. XCI.) sunt; ita idem prorsus plantis omni ex parte accidit.

CCCXIX. quas in omni vitae statu potestates incitantes sunt, calor, aër, humor, lux, ita admota, ut neque nimis, neque parum agat.

CCCXX. Earundem (CCCXIX.) actio in stimulo quoque posita est, quo vitae huius propria, sensus, motus aliquantum, viriditas, vigor, incrementum, status, decrementum suscitantur. Quem statum causa continens est incitatio, potestatum incitantium communis effectus.

CCCXXI. Quin hic quoque secundam valetudinem

potestates (CCCXVIII.) iuste incumbentes creant, copiosius parciusve admotae, morbos horumve periculum, illae in nimio, hae in deficiente stimulo positos adducunt. Sic nimius & parcus humor, nimius calor & frigus, pari opere ad morbos & mortem, illi recta, haec eventu ducunt. Utque solis radii iusto maiores aut diuturniores eventu debilitant; sic quod noctes diebus, lux tenebris, alternis vicibus inter se succedunt; id eo naturae consilio factum videtur, quo diuturnior splendidiorve iubaris vis, minus aut supra modum, aut ad extremum stimulet, & sic sthenicos morbos vel in indirecta debilitate positos concitet.

CCCXXII. Neque sua plantis incitabilitas deest, quae pariter ac in animantibus, " non in alia sedis parte alia est, nec e partibus constat, sed una toto corpore & indivisa proprietas " (XLVII.). Quo fit, ut cuicunque plantae parti potestas quaeque sit admota, eius effectus, sive nimius, sive iustus, sive deficiens, universam toto corpore incitabilitatem protinus adficiat.

CCCXXIII. Qui adfectus eadem quoque, qua in animantibus inaequalitate fit; ut ubi, scilicet maior quam in quavis alia parte sit, quo recta potestas incitans incubuit. Utque eius rei in animantibus duplex causa est, rectus in partem magis adfectam potestatis impulsus (XLIX.), & maior huius in cuiusvis, quam alius paris partis incitabilitate vis; sic idem in plantis fit. Et quemadmodum in cerebro, ventriculo, & intestinis, incitabilitas maiorem impulsus potestatum, quam in plerisque aliis locis habet rationem; sic illis partibus plantarum radix,

quas a potestatibus incitantibus potentissime adficitur, respondet. Ad radicem, prae caeteris plantarum partibus humor confluit, calor illic optimus ille, qui nec nimius est, ad sthenicum adfectum, nec ad extremum nimius, ad indirectam debilitatem inclinans, nec deficit, quod frigus dicitur, rectam debilitatem inferens.

CCCXXXIV. Soli vero, per cuius foramina potestates relatae (CCCXXIII.) penetrant, solus usus est, eum filtri usum praestare; quo neque patulis nimis foraminibus, illae iusto copiosius descendant, & prius sthenicum seu nimis luxuriantem statum, dein indirectam debilitatem seu contabescentem plantae statum efficiant. Solum autem non necessarium ad aliquam plantarum vitam esse, quoddam tenus in aqua pura viventes, confirmant. Quod idem pro filtro prodesse, arandi, glebas frangendi, argillam tenacem, calce, terra absorbente, dividendi & foramina eius laxandi; friabilem nimis fimo tenaciorem reddendi, tenuem pannis, lapidibus tegendi, & sic calorem intus, sic humorem continendi, omnique ratione foramina contrahendi, prosper eventus arguit.

CCCXXV. Sic quod arenosum omne solum pariter & argillaceum, ubi illi non sic tenacitatis datur, huic adimitur, sterile & infrugiferum fit, ratio manifesta est. Hinc ardentes aestates & regiones argillaceis agris, foramina claudendo nocent; friabiles & macres, eadem contrahendo iuvant. Hinc humilibus terris, lautisque, quae circa plantarum radices humoris undique copiam conducunt, sicca tempora conveniunt, editis & tenue solum habentibus pluvialia respondent. Declives tractus & septentrionem spectantes, qui ple-

rumque tenui & egeno solo sunt, arbores circumcirca passimque consitae, quin & lapidum nudorum, quos imprudens industria saepe cum noxa tollit, omnia tegentium multitudo, calorem praestando, humorem retinendo fovent, proteguntque. Quibus tamen, iis locis, quorum versus austrum & meridiem declivitas vergit, non pariter opus est, utpote qui a sole foveantur, a frigidis ventis defendantur, & australibus flatibus, qui rarius iusto sicciores sint, feliciore situ obiiciantur.

CCCXXVI. Ut ad proprium redeatur propositum, ex iis, quae de plantarum cultu & natura dicta sunt, earum vitam animantium vitae prorsus consimilem esse; incitatione, quam externae potestates solae praebent, quicquid in rebus vitale est, regi; nihil ad vitam tuendam necessarium cuilibet corpori vivo, sive animanti, sive plantae, insitam existere; easdem potestates, quae vitam primum conflant, deinde sustentant, ad interitum demum niti; vivere, vitam producere, consenescere & mori, pariter naturale esse; unumquodque vivum corpus in eo quod gignit vivere, & sic animantium, sic plantarum saecula renovari, rerum naturam permanere, vigere, & aeternam fieri; unoque verbo omnia rerum uno instrumento fabricata esse, discitur.

CCCXXVII. Ut planetarum, qui ad permanendum, & suos cursus per aevum continuandos, conformati sunt, meatus omnes ab hoc uno principio pendent, ut recta, quo modo cuncta proiecta moventur, ferantur; dein assidue gravitatis, quae omnes adficit, vi deorsum detrahantur, & sic ad summam, in orbitales motus omnes coniiciantur; sic in minoribus cor-

poribus vivis, quibus maiora illa replentur, animantibus scilicet & plantis, quorum ut universae species permanent, singula intereunt, quaecunque eorum actiones causa continent, has inchoans, perficiensque, ea easdem imminuit, labefactat, ac prorsus demum extinguit. Non igitur aliae potestates ad vitam & salutem, aliae ad morbos & interitum natura comparatae sunt, sed omnes ad vitam quidem, sed coactu, ad mortem dein, sed sua sponte (LXXII.) feruntur.

PARS TERTIA

DE MORBIS COMMUNIBUS.

FORMA PRIOR,

SEU

MORBI STHENICI.

CAP. I.

CCCXXVIII. Omnibus morbis phlogisticis, omni formae priori (LXIX. LXXX. LXXXII. LXXXVI. LXXXVIII.), perpetuo communis est aucta ubique incitatio, in opportunitate auctis animi & corporis actionibus manifesta, in morbo aliis auctis, aliis perturbatis, aliis imminutis perspicua; ita ut hae ab

excitantibus illas noxis esse, in causa consistere (CLI.) facile percipiantur. Quo communi quasi vinculo ut huius formae morbi sic inter se copulantur; ita

CCCXXIX. Quaedem sunt, quibus magnitudinis gradu inter se distinguuntur; nam alii sthenici morbi cum pyrexia & alicuius externi loci inflammatione sunt, alii sine hac, alii sine utraque sunt.

CCCXXX. Sthenici morbi communes cum pyrexia & inflammatione, partim phlegmasiae, partim exanthemata dicuntur, qui nullo discrimine incitationis ordine, ab hac maxima ad nimiam tractabuntur.

CCCXXXI. Phlegmasiis & exanthematis phlogisticis communia sunt, post diathesin phlogisticam, quanta in opportunitate esse solet, horror, frigoris sensus, languor, quasi lassitudo, pulsuum frequentia initio & leni morbo modica, eorundem robur & durities, cutis, siccitas, excretionum alibi retentio, urinae rubedo, calor magnus, saepe sitis.

CCCXXXII. Ipsis propria, loci exterioris inflammatio, vel huic adfinis adfectus, communi hunc plerumque praecedente, nunquam sequente; Qui communis adfectus, quo commodius a febribus distinguatur, pyrexia nominandus. In exanthematis sthenicis macularum vel pustularum eruptio, frequentior aut rarior, pro diatheseos magnitudine totam cutem contegit distinguitve. Eandem facit aliena contagiosa materia corpore recepta, & dein subter cuticulam retenta.

CCCXXXIII. Horum omnium ex supra tradita doctrina sponte fluit explicatio. Diathesis sthenica eo, quo fusius dictum (CXLVII.) modo, & ab iisdem potestatibus concitata (CXL.) praecedit. Pulsuum no-

nae nunquam ad loci (CLV. CLVI.) adfectum quemvis referendae, semper a sanguinis abundantia, distendendo stimulante (CXLI.), esse demonstratae.

CCCXXXIV. Eorundem hic modica (CLV.) frequentia est, quia dum aliquam stimulus excitat, ei finem copia percitanda statuit. Quam ea celeritate, qua penuriam traiici non posse, manifestum. Pulsuum robur incitationis in motricibus vasorum fibris, quae tonus vulgo dicitur, & harum tanquam simplicium densitatis (LIX. LX.) magnitudo facit. Durities nihil aliud est, quam valida quaeque contractio aliquam moram permanens, multum sanguinis arte amplectens, & sic funem quasi tensum referens (CLVI.).

CCCXXXV. Hunc (CCCXXXIV.) exactum arteriarum statum esse, ciborum copia ante opportunitatis tempore desiderata, sumpta, eadem & reliquae potestates (CXL. ad CXLVII.) solito magis ubique incitantes, eoque inter alios effectus digerentem vim augere, & cum aliis debilitantibus auxiliis, attenuantia morbis occurrentia & medentia confirmant. Quem cum contrario statu, quod hactenus perpetuo factum, confudisse, gravissimus error, ut rationes pariter & curationes transversas egit, ita in claro monumento posuisse, non frugiferum esse non potest.

CCCXXXVI. Horror & frigoris sensus (CLIV.) a siccitate cutis cuasa pendet. Languor & quasi lassitudo, maiorem cerebri & musculorum fibrarum incitationem, quam ut ab incitabilitate, certis finibus contenta, recte perferatur, indicant. Igitur sunt stimulante, non debilitante causa actiones (CLIV. CLV.) imminutae.

CCCXXXVII. Cutis siccitatem facit magna fibrarum, extrema vascula cingentium, incitatio & densitas (LIX. CLVII.), diametros usque eo, ut caecus vapor perspirabilis his recipi, receptus traiici nequeat, imminuens. Qui status non spasmus, non frigoris adstrictio (CV.), sed diathesis sthenica est in cute, quam alibi, paulo maior, quia caloris stimulans, maxime post frigus admotum, vis alias potenter sthenicos morbos noxa excitans, huic quam interioribus partibus validius incumbit, & stimulantis operis summam intendit.

CCCXXXVIII. Eadem excretionum aliarum pro tempore retentarum fert causa (CLIX. CLX. CLXIII.); nisi quod caloris opus relatum ab explicatione alienum est; inde minor diathesis excernentia intus vascula adficit. Quae ob hanc causam, & quia natura ampliora sunt; maturius in his morbis, quam cutis foramina reserantur.

CCCXXXIX. Urina rubet, quia vascula, illam secernentia, obtinens communis diathesis secretioni obstat (CLXIII.). Hinc secernendus humor vascula distendere, rumpere, fibrae motrices, contrahendo se, contrahere, & quatenus simplicium funguntur officio, distentioni resistere tendunt. Cui in valida vasorum actione, omnium firmorum cohaerendi tamen vis aliquantulum cedens, particulas sanguinis traiicit. Quod initio non fit, quia distentio non subito materiae simplicis cohaesionem, nec nisi post aliquam moram, superat.

CCCXL. Impedita perspiratio caloris magna causa est, genitum intus per cutem abscedere prohibens. Quod fusius tum explicabitur, cum ad idem sym-

nunquam phrenitica est, nisi ubi ingens diathesis, quae cerebro inflammationem, aut huius periculum inferat, occurrit. Nec in erysipelate quicquam ab inflammatione, etiam vultum adgressa, nisi ubi pyrexia saevit, extimescendum. Quae mitis laetum eventum asserit. Synocha symplex nihil aliud est, quam phlegmasia, ex pyrexia & diathesi phlogistica, ob exiguitatem inflammationi accendendae impare, constans. Cuius tamen cum omnes noxae excitantes, omnia auxilia, prorsus eadem, quae cuiuslibet phlegmasiae, sint, ab his eam segregare, cum febribus, extremae debilitatis morbis, coniungere, gravis error erat; eoque gravior, quod inflammatio, quae phlegmasiis necessaria falso credebatur; ei non deest, quoties huic concitandae sufficiens diathesis subest. Quod tamen ob alterum errorem, neque leviorem, neque unius nocuum, quo inflammatio phlegmasiarum causa haberetur, cerni non poterat. Denique, quo minus a natura catarrhi non alienam inflammationem esse, sed propter diatheseos commuis solitam mediocritatem plerumque deesse, dubites; quoties, etiam in eo, diathesis ingravescit, quod, neglecta idonea curatione, & noxarum excitantium effectu ultra solitam metam tenco quandoque accidit, inflammatio, & formidanda quidem, subnascitur; saepe fauces, quandoque pulmones, deprehendens, & aemulum peripneumoniae adfectum suscitans.

CCCXLIV. Frustra spina infra unguem immissa, hunc vulnerans, vulneri inflammationem inferens, & adfectum consimilem ad humerum, pyrexiam per totum corpus, spargens, tanquam, quo modo ab inflammatione phlegmasiae oriantur, illustrans & con-

rum symptoma est, & pyrexia symptomatica dici potest (CCXVIII.), cum magno fructu dignoscatur.

CCCXLVII. Veri morbi sthenici cum pyrexia & inflammatione externa (CCCXXIX.) sunt, peripneumonia, phrenitis, variola, rubeola, quoties utraque haec vehemens est, erysipelas grave, rheumatismus, erysipelas mite, cynanche tonsillaris. Inflammationis expertes sunt, catarrhus, synocha simplex, scarlatina, variola, rubeola, ubi localis tantum eruptio paucis constat pustulis (LXXVI.).

Historia Peripneumoniae.

CCCXLVIII. Peripneumoniae, sub qua pleuritis, & quantum idiopathica est, carditis, comprehenduntur, propria sunt, alicubi thoracis dolor, saepe sedem mutans, spiritus difficilis, tussis, plerumque sputa reiiciens, aliquando sanguinem.

CCCXLIX. Sedes morbi totum corpus, totum genus nervosum (XLVII.-VIII.-IX. LIV. LV.) est, quod diathesis in opportunitate toti corpori communis aucta, & nihil novi, morbum creans (XXVII. LXXV. LXXVI.); intra pectus inflammatio pyrexiam, magno temporis intervallo plerumque, sequens, nunquam praecedens; detractioque sanguinis, & alia remedia, inflammatum locum non magis, quam quemlibet aeque dissitum, adfectantia (LV.), declarant. Inflammationis, diatheseos communis partis, propria sedes pulmonum corpus, & tegens hos summos e pleura procedens membrana; vel huius, sive costas intus tegentis, sive thoracis viscera extrinsecus includentis, pars quaelibet, subest, in aliis casibus & eodem alias, alia.

CCCL. Alicubi thoraeis dolor e respondentium intus locorum (CLXXIV.), modo relatorum, inflammatione pendet. Quod cadaverum incisio firmat; nisi quod eum saepius adhaerens pleurae costali pulmo, raro illa inflammata, facit.

CCCLI. Ubi summos pulmones inflammatio obtinet, non potest utrivis soli, nec pulmonum corpori nec membranae, adhaerere (CLXXIV.). Quo enim modo, si reputes, eorundem vasculorum, sive super hanc reptantia, sive in illud descendentia, aut inde emergentia, punctula sola sine proximis inflammari posse, putabis? Pariter igitur a vero distat inflammationis in parenchymatosam & membranosam distinctio, & huius perpetuae opinio. Quod non semper membrana pulmonibus contigua, nec horum parenchyma, sed alicubi vicina membrana, inflammetur; eam rem inflammate partis, ad perflatam & temperie variantem, vicinitas explanat.

CCCLII. Saepe suam sedem, dolor, in morbi cursu, mutat; quia recta eius causa inflammatio pariter mutabilis est, sedem primam linquens, vel partim servans, & in aliam vehementius irruens. Quod nota doloris mutatio, cum inflammationis respondentium locorum vestigiis, post mortem deprehensis, collata, firmat (CLXXIV.).

CCCLIII. Quae res (LIV. LV.), morbi ab inflammatione facti, servati, ullove modo pendentis, opinionem, altero & gravi argumento, refutat (CLXXIV.), hic propositam roborat; & inflammationem a valida diathesi communi modo in hunc, modo in illum, locum dirigi, crescere, & quodammodo multiplicari, declarat. Eodemque pertinet, quod

inflammationem, cum levata vel sublata diathesi, senescere, simpliciorem fieri, ab omni sede pelli, curatio demonstrat. Eandem rem rheumatismi ratio confirmat; cuius eo saeviores & plures dolores, quo validior communis diathesis, mitiores & pauciores, quo levior sit, adparent. Hi dolores, ex communi diathesi pendentes, idiopathici morbi pars, a localibus, qui saepe soli incidunt, casu huic morbo praecedere possunt, distinguendi sunt.

CCCLIV. Spiritum difficilem (CCCXLVIII.) facit nulla pulmonum, seu spirandi istrumenti, culpa, nullus incitationis in iis defectus, sed solus aër tractus, sua vasa replendo, distendendo, sanguifera inflammata comprimens.

CCCLV. Tussis causa est, humor exhalabilis, item mucus large secretus, excretus, vascula aërifera irritans, eorum, & omnium potestatum, thoracis cavum amplificantium, incitationem augens, dein subito suspendens, & sic plenam tractionem, plenam emissionem, coniuncto partim voluntatis opere, peragens (CLX. CXLI.).

CCCLVI. Eadem minor aut nulla initio est, quia, propter diathesin, adhuc extrema vascula valide obtinentem (CLX.), iidem humores, vaporis caeci forma, promanantes, minus irritant, & minore molimine cum spiritu demittuntur.

CCCLVII. Eandem sputa propterea sequuntur, quod humores cumulati cum effectu suo, tussiendi conamine, in rapido aëris effluentis impetu, velut torrente amne, perveh untur (CLXI.). Quibus quandoque mixtus sanguis secretionis vim, supra (CCXXXI. CCXXXII.(explicatam, indicat..

CCCLVIII. Pulsuum mollities, definitione vulgo recepta, hic ab ea reiecta, est, quia non inflammationem, sed, diathesin communem, illorum notae sequuntur (CLXXI. CCCLIII.). Qua respecta (CLXXIV.), pro mollibus tantum minus duri vocandi, curationis ratione habita, molles demum dicendi.

CCCLIX. Neque doloris varius, modo acuti & quasi pungentis, modo obtusi, gravis & pro molestia potius habendi, sensus, quamvis ab inflammatione recta pendens, ceu huius statum aut sedem indicans, operae pretium ducendus; quia, quantaquanta sit, ubi sedeat, quicquid periculi denunciet, inflammatio, sola eius solvendae, periculi avertendi, ratio est, diathesin communem tollere. Inflammatae igitur membranae in acuto, parenchymatis in obtuso, dolore opinio, ut inutilis, reiicienda, ut exitium ferens, cavenda. Saepe enim provecto morbo remittens subito dolor, non pro ratione levato spiritu, falsam imperitiori praebet reductae salutis speciem. Cuius causa, ab inflammationis sede aut genere prorsus aliena, ea incitationis magnitudo est, quae exhaustam incitabilitatem, se finitam, & nimium vigorem in indirectam debilitatem versum, significat. Hinc vasorum, maxime laborantium, nulla pro nimia incitatio, pro densitate laxitas extrema, prodit. Hinc, pro violenter aucta, excretio, sine vi, sine molimine, liquore aquoso spissiorem per vasorum inertiam relinquente, immane supra modum intenditur, & subito strangulat, in vasa aërifera undique fusus, humor.

CCCLX. Carditis raro occurrit, male intelligitur,

& plerumque localis adfectus videtur. Quod ubi fit, frustra medici opera interponitur. Et, si quando idiopathicus est, definitionem, & omnem, praeter peripneumoniae, curationem respuit. A qua, cum iisdem noxis antecedentibus oriatur, iisdem auxiliis tollatur, nec ullo certiore signo dignoscatur, ideo non segreganda.

Historia Phrenitidis.

CCCLXI. Prenitis e phlegmasiarum (CCCXLVII.) numero est, cum leviore partis alicuius, unius aut plurium artuum, faucium, inflammatorio, aut catarrhali, adfectu, capite dolente, rubente cum oculis vultu, soni lucisque impatientia, vigilia, delirio.

CCCLXII. Inflammatio extrinsecus propria forma non adparet. Ad quam tamen in articulis, in musculis, maximeque supra spinam aut circa pectus, in imis faucibus, vicinus, aut catarrhalis, status est, ex eadem causa pendens (CLXIX. CCVII.), & hoc tantum, quod minor est, differens.

CCCLXIII. Capitis dolor, vultusque & oculorum rubor, ex nimia sanguinis in cerebri aut membranarum eius vasis copia, distendente, nimis stimulante, incitante, & ad dolorem vasa contrahente, nascitur (CLXXIII.). Ad quem creandum non necessaria inflammatio est. Sine qua haec nimia actio dolori est, quod mediocritatem, in qua iucundus sensus constat, exsuperat. A rubore copia sanguinis indicatur simul & explicatur. Quam distendendo dolorem ferre, sanguinis detractio, & quicquid eam imminuit, impetui moderatur, ostendit.

CCCLXIV. Eadem soni & lucis impatientiam facit, audiendi & videndi sensus acuens: Nam, ut omni sensui necessarius est sanguinis aliquantus impulsus, instrumentum incitans; ita nimiam causam nimius effectus sequitur. Sed haec symptomata cum dolore, in contrario incitationis statu, nempe asthenico, oriuntur.

CCCLXV. Vigiliam & delirium eadem nimia incitatio, nimio sanguinis & aliarum potestatum stimulo creata, peragit. Aliae noxae, suam operam conferentes, cogitandi contentio, quasi tenor, & aliquis adfectus commovens, esse solent. His excitus nemo, etiam sanus, dormit; quo minus, eorundem in morbo gravi magnitudinem somnum avertere, mireris. Ut aucta vigilia, ita delirium, perturbata actio est, eadem causa substante (CLVIII. CLXXIII,). Ad quae symptomata fusius explicanda, quod porro reliqui esse videatur, posthac exponetur.

Exanthematum Sthenicorum explicatio.

CCCLXVI. Exanthemata sthenica sunt, post contagionem & solitas diathesin sthenicam (CXLVIII.) facere noxas, prius pyrexia sthenica, seu synocha, dein, interposito temporis spatio, non ad amussim certo, papulae maculaeve cutem distinguentes.

CCCLXVII. Exanthematicos morbos ab aliis sthenicis nulla cuiusvis momenti re differre, hoc valido argumento est; quod, praeter eruptionem & ad eam pertinentia, nihil in signis praeter contagionem, nihil in noxis novi deprehenditur; & eadem prorsus,

sive ad occurrendum, sive medendum, auxilia sunt comperta. Quod cum ita sit, temen, propter eruptionem & ei propria, exanthematicos ab affinibus morbis separasse, cum diversissimis tam ab iis, quam inter se, coniunxisse, inscitiae summae fuit. Quo enim modo, cum eruptionis, quisquis est, effectum solitae curatio solvit, aliam, & non eandem prorsus, causam subesse, credibile cuiquam; nisi iterum cum iis, quibus, eundem effectum ab aliis causis fluere, placeat, res sit? Non sane communi sthenico contrarium contagionis opus, sed idem prorsus.

CCCLXVIII. Contagio materia quaedam est, caeca, incognitae naturae, &, ut pleraque rerum, tantummodo evidentioribus effectibus ullo modo patens. E corpore laborantis, aut crassiore materia, qualis vestis aut suppellex, ubi forte delituerit, sano corpore recepta, sine ulla firmorum aut humorum mutatione manifesta, fermentescit, omnia vasa replet, dein paulatim foraminibus excernitur.

CCCLXIX. Cumque nullus eam effectus, praeter diathesin sthenicam, sequatur, hanc alias facere solitae noxae plerumque morbo praecedant, & curatio asthenica semper & sola respondeat, eoque, a relatis hactenus morbis, eius affectus minime differat; ideo iure cum iis, tanquam ad eandem formam pertinentes, ab illa nati morbi coniunguntur.

CCCLXX. Inter quos hoc solum interest, quod in exanthematicis materia temporis, quo corpore efferatur, aliquod, in alio aliud, requirit, eoque copiosius aut parcius efferetur, quo liberior aut impeditior perspiratio sit. Quam nullus spasmus, nulla frigoris constrictio, solaque sthenica in summo corpore dia-

thesis (CXVII. CXVIII. CXX. CXXI.) impedit; ut hoc patet, quod frigus debilitante opere, liberum materiae exitum pariendo, perspirationem clare expedit. Quam rem, diathesin imminuendo, non spasmum solvendo, facere supra demostratum. Ut materiae per liberam perspirationem sic exitus expeditur; ita,

CCCLXXI. Quaecunque eiusdem pars infra cuticulam moratur, ea, morando, certam acrimoniam adquirit, inflammatiunculas facit, factas ad suppurationem perducit. Quae, partem laborantem irritando, pyrexiam & diathesin phlogisticam symptomaticam, ab idiopathica distinguendam (CCCXLVI.), concitant.

CCCLXXII. Plus minusve certum eruptionis tempus est, quia fermentandi opus, quodam tenus certum & aequale tempus, quo peragatur, corpore diffundatur, & summum hoc attingat, effectu teste, requirit. Rursus non ad amussim certum est, quia perspiratio, variante vigore, vegeta magis aut languidior sit necesse est,

CCCLXXIII. Pyrexia, eruptionis symptomatica (CCCLXXI.), quandoque febris iustae formam sumit, quia stimuli, quem toti summo corpori obiicit eruptio, magnitudo nimiam ad extremum incitationem, eoque huius finem; & indirectam debilitatem, parit; (XXXV.).

Historia variolae gravis.

CCCLXXIV. Variola exanthema (CCCXXXI.) est, cuius tertio vel quarto die, quandoque serius, erum-

punt parvae, inflammatae, mox in iustas pustulas iturae, papulae; liquorem, octavo fere post eruptionem die, saepe serius, in pus mutatum, dein exsiccatum, & crustarum demum forma dilapsum, concludentes. Eruptio, pro diatheseos phlogisticae magnitudine, maior, minor, aut minima, est.

CCCLXXV. Haec omnia fermentationis lege, modo (CCCLXVIII.) memorata, reguntur. Pustularum numerus, diatheseos mensurae respondens, sine facientibus hanc noxis, non multum contagionem ad verum morbosum statum creandum valere, & morbi formam exteriorem potissimum dirigere, declarat.

CCCLXXVI. Vehemens vero variola his insignitur symptomatis: Ante eruptionem gravissima pyrexia est; quam perpetua pustularum toto corpore crusta excipit. Cui statui noxae antecedentes sunt sthenicae vehementissimae, remedia medentia potenter astenica.

Historia Rubeolae.

CCCLXXVII. Rubeola exanthema (CCCLXVIII.) est, a sternutatione, oculorum madore, tussi sicca, & raucedine, incipiens; cuius quarto die vel serius, papularum exiguarum, frequentium, vix eminentium, triduo fere aut serius, in squammulas quasi furfureas desinentium, eruptio prodit. Qui morbus, praecedente diathesi sthenica, in primis gravis est, ut in hoc casu; absente ea diathesi vel minus evidente levior, sed phlogisticus tamen futurus.

CCCLXXVIII. Sternutatio, mador oculorum, tus-

sis sicca & raucedo, symptomata catarrhalia sunt (CLV.-LXI.-LXII.), eoque a diathesi phlogistica pendent. Quae quoniam, quatuor dies aut amplius ante eruptionem, id est, antequam materia loca laborantia attigisse videtur, apparent, & perpetua sunt; inde diathesis sthenica, solitas ipsam facere noxas, non ex toto propriam hic materiam, consequi, & rubeolae esse necessaria, credenda. Quod etiamsi negetur, & a materia nasci illa symptomata contendantur; nihil tamen a reliquis morbis sthenicis hic differre, sed pariter in diathesi sthenica positus esse, & antiphlogisticis auxiliis cedere, dandus; &, quod eundem, quem solitae noxae phlogisticae, materia trahat eventum, sic idem prorsus eius opus, eadem morbi causa, fatenda. Unde nihil in medendi consilio novi, nisi, quod huic cum reliquis exanthematis sthenicis commune est, ut materiae, quo corpore auferatur, tempus detur, & eodem perspirationi, quo alias diathesis sthenica tractari solet, modo consulatur.

CCCLXXIX. Eruptio iam traditam (CCCLXXV.) rationem recipit. Quod gravis morbus, praecedente diathesi phlogistica, in leviore hac levior, est; ea res, quam non, a solitis diathesin facere noxis, contagionis opus differat, insuper confirmat.

CCCLXXX. Ubi diathesis invalescens perspirationem supprimit: pro tempore saepe evanescit, velut interiora peteret, eruptio. Quod periculum maxime in fine morbi intentatur, &, materiam, eodem, quo variolosa, per summum corpus modo, inflammationem symptomaticam accendere, dein aucta magis diathesi supprimere inflammationem, commonstrat.

Hinc cum aliis visceribus saepe pulmones inflammantur. Quae inflammatio symptomatica dicitur, quia non, communis ritu, a diathesi communi, sed a materiae, nunc has, nunc illas partes, petentis, acrimonia pendet. Cuius effectus pyrexiam quoque symptomaticam, a communi distinguendam (CCCXLVI.), concitat.

CCCLXXXI. Variola vehemens, saepe magno eruptionis stimulo, sthenicam tam diathesin, quam eruptionem, in asthenicos, vertit, variolamque confluentem, de qua postea, concitat. Ecquid simile rubeolam sequatur, incertum. Sed, cum omnis incitatio nimia, ut in peripneumonia cum in hydrothoracem vertitur, in indirectam abire debilitatem periclitetur; sic, quin huic malo, quod nulli vehementia cedit, idem accidat, vix addubitandum est.

Erysipelatis gravis historia.

CCCLXXXII, Erysipelas phlegmasia est, a pyrexia semper incipiens, inflammatione sequente. Quae alicubi corporis extrinsecus, saepius in vultu, aliquando in faucibus, sita, rubet, marginis inequalis, aliquantulum tumens, serpens, quasi urens.

CCCLXXXIII. Proprium huic inflammationi est, alienum a reliquis communibus sthenicis, quod nomen omnibus a diathesi sthenica pendentibus, quo commodius ab aliis dignoscantur, datum (CCCXLVI.), ut corpus mucosum occupet. Quare id fiat, non refert; siquidem haec ab aliis phlegmasiis neque noxarum excitantium, neque auxiliorum, opere distat.

CCCLXXXIV. Rubentis inflammationis causa est sanguinis in vasis inflammatis abundantia, nam magis aut minus rubentis quaestio, ut nihil morbi naturam tangens, nihil interest. Minus tumet locus inflammatus, quia cuticulae cutique liberum, quo effusus humor diffundatur, spatium interponitur. Eadem, serpentis inflammationis & marginis, inaequalitatis, causa est. Urendi sensum acrimonia, stagnando parta, facit.

CCCLXXXV. Vultum occupans, quam alium quemvis locum, inflammatio nihilo periculosior est, nisi in magna, unde pendet, diathesi, ipsam pro ratione magnam efficiente. Qua in re, quicumque locus inflammatur, pro gravi morbus, inflammato vultu gravior, magnis turbis intus comitibus, iudicandus.

CCCLXXXVI. Cum talis sthenicae diathesis, & ab ea pendens capitis adfectus, subest, nullus morbus periculosior est, nullus in fatum velocior. Contra, in miti diathesi, nullum malum mitius.

Historia rheumatismi.

CCCLXXXVII. Rheumatismus phlegmasia (CCCXXIX.-XXX.-XXXI.) est, maxime in temperamento ad sanguineum inclinante, calore frigus excipiente (CL. CXII. CXIII.), vel ita cum eo alternante, ut potentius stimulet; dolore iuxta articulos, potissimum maiores, exercente, & diatheseos magnitudini respondente, inflammatione pyrexiam semper insequente.

CCCLXXXVIII. Externa temperies eodem modo

hic, quo supra (CXIII.), explicata nocet.

CCCLXXXIX. Dolor per loca relata (CLXVIII. CCCLXXXI.) saevit; quod illuc inflammatio, seu diatheseos communis auctior pars (CLXVIII. CLXIX.), potissimum incumbit. Idque hoc accidit, quod, noxarum excitantium potentissima fere, temperies, relata (CLXVIII.), eodem solum dirigitur. Ad interiores sedes inflammatio eo non trasfertur, quod in illas, aequabilem fere, sub omni extrinsecus eius mutatione, temperiem servantes, eadem noxa non agit (CXIII.).

CCCXC. Frigus, hic adstringendo, ut vulgo creditur, non nocet; quia sub calore, cuius adstrictioni contrarium opus est, saevit maxime morbus (CXIII.). Quam rem victus stimulans semper noxae, inedia semper auxilio, saepe saluti, comperta, firmant; & errorem, quo plus iusto detrimenti temperiei, fructus sudori, tribuitur, tamquam reliquae noxae nullae, auxilia nulla, essent, arguunt. In hac aeque, ac reliquis omnibus morbis sthenicis, diathesis communis sthenica sola morbum, solutio eius sola salutem, parit (CXLVIII. CCLI. CCLII). Quam rem, omnia quae dicta sunt, luculento indicio declarant. Dolores partium, qui quandoque huic morbo praecedunt, saepius soli existunt, & in utraque re cum diathesi sthenica, in qua morbus omnis positus, nihil rei commune babent, locales adfectus sunt, vel ad diversum communem nempe, rheumatalgiam, de qua postea, pertinent.

CCCXCI. quod maiores hic articuli, in podagra minores, adfectentur, eius rei haec causa est. In rheumatismo, quia in gravi diathesi sthenica tam re-

liquus morbus, quam dolores, positi sunt, igitur maiores artus, quae, ob causas relatas (CCCLXXXIX.), maiorem diathesin subeunt, maior mali vis prehendat necesse est. Cum vero in hebilitate podagra consistat, vis igitur eius ibi maxima erit, ubi summa debilitas, eoque in extremis partibus, & a motus centro maxime dissitis, incidit.

Erysipelas mitius.

CCCXCII. Erysipelatis gravioris, ante tradita, tam definitio, quam explicatio (CCCLXXXII. ad CCCLXXXVII.), ad mitius explanandum ita quidem sufficit, ut, tam noxis antecedentibus, quam symptomatis, & tota causae ratione, hoc multo lenius illo, sed & in primis lene malum, esse intelligendum sit.

CCCXCIII. Saepe cynanchen sthenicam, quae tonsillaris vulgo nominatur, haud tam sequitur, quam nondum finitam consequitur. Saepe sine hac solum adparet, a simili noxarum lenitate suboriens, & similem toto cursu symptomatum mansuetudinem manifestans.

CCCXCIV. Quin & iisdem in hominibus in eodem noxarum statu nunc erysipelas hoc, nunc cynanche (CCCXLVII.), nunc catarrhus (CCCXLVII.) nullo discrimine nascuntur, eademque asthenicae curationis lenitate, tolluntur.

Cynanches tonsillaris historia.

CCCXCV. Cynanche tonsillaris phlegmasia est, occupan-

cupante fauces, maxime tonsillas, inflammatione, nunquam pyrexiam praecedente, tumida, rubra; exasperato inter devorandum, praecipue humores, dolore.

CCCXCVI. Quod inflammatio locum hic relatum occupat, causa supra (CXIII. CCCXLII.) relata est. Quae, cum semel incidit, eo dein saepius redire periclitatur, quod sedes eius noxae potentissimae prominens, ac minus recta, obiicitur (CLXVIII.), &, distenta per inflammationem vasa, dein laxata, in omni sanguinis impetu facilius abundantiam recipiunt.

CCCXCVII. Ut, aliarum phlegmasiarum more, nunquam praecedit pyrexiam ob causam (CLXVIII. CCCXLIII.) relatam inflammatio; ita, si imperitiori praecedere videatur, eius rei causa est sthenica communis inflammatio, saepe repetendo, & aliquam semper in loco laborante labem relinquendo, paulatim in localem (CLXXI.) degenerans. Quae, sine diathesi sthenica communi, non sequente cynanche, incidere; cum illa casu coniuncta, huic praecedere, potest; sed in utraque re a communi distinguenda (LXXX.) est, quisquis ab errore malo in curatione cavere velit. Eadem in asthenico habitu, sive priorem excipiente, sive non, rursus communis (CLXXI.) ad asthenicos morbos referenda est.

CCCXCVIII. Si, quare maxime inter humores hauriendos exasperetur dolor, explanare queas, imperti; si nequeas, nihil refert.

CCCXCIX. Cynanche oesophagea hic omissa est, quia rarus ille adfectus, easdem rationes & curationem, ac tonsillaris, quoties communis est, recipit,

nec, nisi altiore inflammatione, & rubedine tantum aliqua adparente, differt. Sed, quia localem posse esse, ut ubi stimulo aut acri aliquo oesophagus forte rosus aut ustus sit, suspicio non, deest; igitur discrimina (LXXXI. CLXX.) respice, & curationis causa (LXXXVIII.) distingue.

CD. Rarus quoque morbus est, in quibusdam regionibus aliquando, in aliis nunquam, incidens, cui cynanches stridulae nomen. In quo spiritus laborat, tractus strepit, raucedo, tussis clangens, & tumor vix cernendus, sunt. Idem puerilem tenerrimam aetatem fere solam infestat. Caetera ambiguntur.

CDI. De quo, in curandi usu forte occurrente, sic iudica. Ut diathesis sthenica, quanta ad morbi modum requiritur, quia in magna incitatione posita est, ideo minus aut ineunte aut extrema aetate incidit, in illa, incitabilitatis magnitudine, in hac exiguitate, minus magnum incitantium potestatum effectum, incitationis vim, recipientibus (XXV.); a neutra tamen ex toto aliena est. In pueritia stimuli tenuitatem incitabilitatis magnitudine, in senectute illius magnitudine huius defectum, pensantibus, & minus quidem diuturnam, sed aliquam tamen, diathesin sthenicam, etiam ad morbi modum, sufficientibus. Hac ratione, infantes miram incitationis vicissitudinem, brevissimis temporum spatiis, experiuntur. Hodie omnia extremae debilitatis, cras nulla non vigoris, ostendunt; stimuli opere cito ad summum propter incitabilitatis magnitudinem sublato, cito ad imum ob suam exiguitatem revoluto. Hinc, quodcunque iis diatheseos sthenicae usu venit, id breve, acutum, & facile solutu; nec longa asthenica

aut sublatu difficilis est, si localis adfectus desit, & idonea curatio tractetur.

CDII. Illius (CDI.) hac aetate notae sunt, pulsus, si ad adultorum sthenicos conferantur; creberrimi, ipsorum sanis crebriores, digitum explorantem clare tangentes, alvus initio duriuscula, procedente morbo liquidior, cutis siccitas, ardor, sitis, vigilia, vagitus validus.

CDIII. Huius contra signa sunt pulsus innumerabiles, graciles, incerto tactu & nivis instar, in digitum molliter cadentes, alvus praeceps, fusa, materia viridescente, vomitus frequens, cutis siccitas, naturali, & in aliis quam aliis locis maior, calor, somnus interpellatus, nunquam recreans, vagitus debilis flebilis.

CDIV. Illi, praeter noxas solitas, lac purum, aut ex carnea materia paratus cibus, nimius opii aut liquoris meri diluti usus, post frigus humidum, eoque debilitantius (CXXXVI), calor nimius, simplicia firma valida, antecedunt.

CDV. Huic, cum noxis notis, imbecillae, morbosae, nutricis lac; e plantarum genere paratus, & saccharo mixtus cibus; aquosus, aquosa potui data; supra & infra, aut per magnesiam, absorbendo acido datam, purgandi consuetudo; frigus non sequente calore; simplicia firma debilia, praeeunt.

CDVI. Utra horum signorum praecedant aut comitentur cynanchen trachealem, & pyrexia eius sthenica, an asthenica, sit respice. Quas de ea sententias, alius aliam, tradiderunt, perpende. Rationes habe suspectas, & suspectiores. Iuniorum gloriam, vanitatem, temeritatem, seniorum confirmatam aeta-

te & usu pervicaciam, nulla ratione, nullo veri pondere, vix numinis vi, flectendam, vinctum praeiudiciis animum, cave; totum medicorum seculum praeter unum erravisse, in errore obstinatis animis perseverasse, in Alexipharmacorum exemplo, recordare; &, an praesentes, qui receptas scholis disciplinas sequuntur, rectius videant; & non contrario extremo desipiant, ac tantundem in febribus puraeque debilitatis morbis, quantum illi in phlogisticis, noceant, per genus humanum late pestem spergant, reputa. Huius morbi, quae prodierunt, curationes, sic ab errore tutus, considera. Si, his aut facto tibi periculo, vel sanguinis detractionem & alvi purgationem, vel, quae antispasmodica vulgo dicuntur, id est, stimulantia, respondere compereris; in illo casu sthenicum, in in hoc asthenicum morbum esse, pro certo scias; eoque certius, si noxas excitantes, notasve relatas, simul convenire videas.

Historia Catarrhi.

CDVII. Catarrhus phlegmasia est (CCXXX. CCCLVII.), in qua ad communia relata (CCCXXXI.) accedunt tussis, raucedo, & prius suppressa, minusve, dein magis, aucta, narium, faucium, & bronchiorum excretio; a noxis stimulantibus, saepe solo calore (CXXXIII. - IV. V.), maxime post frigus, oriunda, per debilitantia, saepe solo frigore, cauto calore, solvenda (CLXXX.).

CDVIII. Tussis eadem, quae supra (CCXXXIX.) tradita, fere explanatio est, Quae liberior est & non vitatur, quia vicinam nullam inflammationem exasperat concitatque dolorem.

CDIX. Raucedinem ab exhalandi in bronchia vaporis suppressione esse, hinc scire liceat, quod saepe propemodum sine sputis & tussi, aut his mediocribus, vigente diathesi phlogistica, & non in bronchiis, remittente, diu morata; hac cedente, illis liberioribus, remittit aut decedit. Quod a stimulo, quali quantoque phlogistica diathesis est, effici posse, loquendi contentio, pro tempore raucedinem faciens, silentium tollens, frigida potui data leniens, arguit.

CDX. Suppressa excretio, relata muci humorisque exhalabilis (CCXXXVIII.) est, eandemque, ac supra (CCXXXIX.) traditam, explanationem recipit.

CDXI. Stimulantia catarrhum facere hinc constat, quod calor solus, cibus plenior, potio merax, & modica exercitatio, pro certo eum excitant, frigus, frigida potui data, parcior cibus, & quies, pro certo & efficaciter solvunt. Quem igitur, a solo frigore esse, calore solvendum, gravissimus error est. Contra frigus nunquam nocet, nisi ubi eius actionem caloris excipit, ut ante (CXXXIV.), explicatum. Catarrhus aestate toties incidens, ubi sexcenties causa eius a frigore supra repeti nequit, a calore potest, contagiosus numquam, communis saepe, frigoris, egens, non omnino frigori, calori protinus succedens, res mulieribus vetulis, calceorum & aliis vestis sutoribus, item lippis & tonsoribus, notae, scribentibus & docentibus medicis ignotae, observationem eandem firmant.

Sinocha Simplex.

CDXII. Synochae simplicis eadem, quae phrenitidis (CCCLXI.), definitio, exceptis capitis adfectibus, est. Levis morbus est, saepe uno, semper paucis diebus in salutem, nisi novis noxis vel casu vel curatione stimulatrice superadditis, abscedens.

Historia Scarlatinae.

CDXIII. Scarlatina exanthema (CCCXXX.) est, cuius quarto circiter die, aut serius, vultus aliquantum simul intumescit, & cutis passim rubedine florescit, dein amplius maculis, post coalituris, & triduo in squammulas, tanquam furfureas, abituris, discriminatur. Quae, non nisi post sthenicam diathesin aliunde factam, nascuntur. Iisque similia contrarium morbum, post memorandum, conflant.

CDXIV. Eruptio, quodam tempore prodiens, & aliquamdiu permanens, fermentationi, tempus quoddam, & in alio morbo aliud, postulanti, simili modo, quo ante (CCCLIV.) explicatum, tribuenda.

CDXV. Vultus tumor a diathesi phlogistica illic, quam in pari alio loco, maiore pendet. Quam, praeter solitas eam facientes noxas, materia contagiosa iam ad cutem accedens, augere putanda.

CDXVI. Haec materia status morbosi nihil sola creat, exteriorem & exanthematicam morbi faciem tantum dat, & diatheseos, sive sthenicae, sive asthenicae, naturam sequitur. Hinc, post eam corpori admotam, modo sthenicus, qualis definitus, modo

asthenicus, morbus, post suo loco memorandus, exoritur. Quod, scriptorum, aliorum alteram eius naturam tuentium, discrepantes & inter se adversis frontibus repugnantes, tam explicationes, quam curationes, conciliat.

Historia Variolae mitis.

CDXVII. Variolae mitis eadem, quae gravis (CCCLXXIV.) definitio est, nisi quod in miti saepe perpaucae pustulae, nunquam centum aut ducentas fere numero superantes, sunt, est ubi solus, quo materia inserta est, locus pustulis sine ullis alibi corporis, conseritur, aut praeter has una tantum cernitur.

CDXVIII. Pustularum numerum & eruptionem confertam facit non contagiosae materiae natura, non copia, sed diathesis sthenica, quantum a noxis sthenicis, quarum materia minime particeps est, concitatur. Si igitur ea diathesis, & prae caeteris locis in summo corpore, praecavetur, nunquam frequens: postquam adparuit, protinus solvitur, nunquam periculo, erit eruptio.

CDXIX. Ut materia contagiosa non multum ad diathesin sthenicam (CDXVIII.), ob rationes adlatas (CDXVII. ad CDXIX.) confert; ita aliquid tamen conferre argumento est, saepe frequens, ubi non aucta e communibus noxis post acceptam contagionem diathesis est, prodiens tamen & eruptio & augescens.

CDXX. Eoque (CDXIX.), dum infra eum, qui perfectae valetudini convenit, gradum redigenda ia-

citatio est; certi tamen fines sunt ultra quos debilitando non est procedendum.

CDXXI. Nam, ubi summopere sthenica diathesis redigitur; incitatio supra modum minuitur; ruberrima, toto corpore, & e maculata in continentem decedens semper, eruptio nisi stimulatrice ratione curata, perniciei futura, variolosae eruptioni prorsus dissimilis, evenit.

Rubeolae mitis Historia.

CDXXII. Rubeolae mitis eadem, quae gravioris, definitio (CCCLXXVII.) est. De qua eadem omnia, quae de variola miti (CDXVII.) dicenda sunt. Si, protinus a symptomatum catarrhalium adventu, praeter omnem hactenus huic morbo medendi consuetudinem, diathesis sthenica solvitur, saepe nullus morbus ex eorum, qui universo corpori communes sunt, numero consequitur. Semperque aeque leniter morbus, ac variola eodem modo curata procedit,

CDXXIII. Symptomata catarrhalia eiusdem, ac in catarrho, naturae sunt (CDVII.), eandemque nempe asthenicam curationem, recipiunt.

CDXXIV. Catarrhus, synocha simplex, iustae omnis, sive communis, sive localis (CCV. ad CCXII.); inflammationis expertes sunt. Scarlatina, variola & rubeola, ubi hae duae lenes sunt (CDXIII CDXVII. CDXXII.) communi carent, nullius momenti localem in summo corpore ostendunt.

Apyrexiarum Phlogisticarum Historia.

CDXXV. Apyrexiae phlogisticae, quae pyrexia pariter & inflammatione omni vacant, diathesi sthenica, vasa minus movente, nascuntur. Eius praecipua exempla mania, pervigilium, & obesitas, sunt.

Historia Maniae.

CDXXVI. Mania est phlogistica apyrexia; in qua mens perturbata falsas omnium rerum imagines concipit.

CDXXVII. Quatenus mania non ex materiae cerebri vitio, qui casus localis quandoque accidit, exoritur; eam nimius mentis usus, vel adfectuum gravius incitantium vis, potissimum concitant. Quae tamen, ut magis in cerebrum, ita in totum quoque corpus, plus minusve, licet pyrexia non sequatur, agunt: quod curatio totum corpus debilitans, & alii stimuli, non protinus cerebro, sed dissitae parti incumbendo, eundem morbum concitantes confirmant.

CDXXVIII. Quorum stimulorum potentissimi, potio spirituosa vel vinosa, item opium & quaedam forsan alia, ventriculo recepta, & illic primum agentia, sunt. E reliquis noxis phlogisticis aliae solae minus maniam inferunt; sed stimulando tamen nocentium vim intendunt; quod eorundem in curatione remotorum effectus arguit.

CDXXIX. Si venena quando maniam, illaesa par-

tis alicuius firmae materia, creent, idem eorum, quod stimulantium communium, opus, idem effectus (XX.), & morbus communis idem, esse iudicanda. Quae ipsa, si contra, partis texturam delendo, agant, pro localis morbi origine (XX.) sunt ducenda.

CDXXX. Minus in mania cor & arteriae moventur; quia, praecipua noxa vasa stimulans, cibus, minus, ad noxatum excitantium numerum accedere solet. Quem tamen reliquis additum nocere, hinc patet; quod ad salutem efficacissima, inter alia remedia, inedia reperitur. Quod, & supra dicta, maniam non loco contentum, sed ad totum corpus pertinentem, morbum esse demonstrant.

CDXXXI. Quamvis in relatis (CDXXV. ad CDXXXI.) morbis, pulsus non omnino adfici vulgo dicuntur & creduntur; id non adamussim tamen verum est; nam in mania, quamdiu is sthenicus adfectus esse permanet, plus minusve stheniae in pulsibus cerni potest (CDXXV.).

Historia pervigilii.

CDXXXII. Pervigilium est apyrexia sthenica (CDXXV.); in qua somnus nullus aut insincerus est, excito animo, vivas, validas, aut molestas imagines recipiens.

CDXXXIII. Eaedem noxae in somnium, quae maniam, sed minus magnae cient. Quod nimia cogitatio, commotio, vel perturbatio animi manifeste, & prae caeteris noxis faciunt. Cogitationis id, quod hoc efficit, non nimium ad extremum est; quod, incitabilitatem pro tempore consumendo, profundum so-

mnum pareret (XXVIII. ad XXXII.), aut si hunc pelleret, per indirectam debilitatem, quae ab hoc aliena loco (ibid.) sic ageret. Eademque perturbationis animi, quatenus hunc morbum concitat, mensura: Cuius nimium omne ad extremum vel in somnum desinit, vel eam vigiliam, quam indirecta debilitas causa continet, adfert (ibid.); nec horum mentis & animi adfectuum simplex opus, semelve aut rarius incidens, effectui par evadit. Qui sic aut levior aut brevior foret, quam ut morbi titulum mereretur. Est saepius rediens, aut altius cerebrum premens, eoque mansuram noxam relinquens, irritamentum, quod memorabilius hunc creet morbum. Hoc modo magnarum rerum, coniuncto periculo, cupiditas, iniuriae gravioris ulciscendae impetus, ultionis horror peractae, piaculorum futurorum metus, excitum animi commovere, Catilinae, Orestis, Francisci Spirae exemplis ostenduntur. Quoties igitur adeo suis imaginibus aut adfectibus animus excitatur, ut, post horum & aliorum stimulorum certam moram, requiescere, & in sincerum somnum componi nequeat; toties hic incidere somnus iudicandus.

CDXXXIV. Quem ut relatae noxae (CDXXX.), sic non solae faciunt. Nam, ut postea, cum ad vigiliam morbosam facientes potestates; quae, eventu debilitando potissimum agunt, eoque sub altera morborum forma rite tractabuntur, ventum fuerit, ostendatur; tum ad somnum pellendum alia quoque pertinere, aut cum illis operam conferre cernentur.

CDXXXV. Ea vero ad pervigilium sthenicum non pertinent. Quo tamen pertinent omnes iam in mania relatae noxae (CDXXVI. ad CDXXXII.), extra ce-

rebrum agentes, & asthenica medendi ratione tollendae.

CDXXXVI. Cum hoc modo (CDXXXI. CDXXXII. CDXXXIII.) potestates vegete stimulantes, nec ulla stimuli summae diminuta parte, pervigilium creent; inde quae reliquorum sthenicae formae morborum causa est (CXLVIII.), eadem huius, idem utrisque corporis, in quo quisque morbus positus, status esse (CDXXXIII.) discitur; nec aliae noxae, sed eaedem prorsus variante tantum, quod saepe aliis phlogisticis morbis accidit, magnitudinis ratione praecedere intelliguntur.

CDXXXVII. Quae res (CDXXXIV.) ex actionibus quoque deprehenditur. E quibus, licet hi morbi apyrexiae esse dicantur, arteriarum tamen pulsus morbi prorsus expertes non sunt (CDXX.); contra tanto validiores, quum in secunda valetudine, aut ad asthenicos morbos opportunitate, hisque ipsis quanto plus vigoris, & hunc continentis incitationi subest. Et reliquarum actionum, exceptis quae maxime laborant cerebri, status idem sane, qui in mitioribus malis phlogisticis aut ad haec opportunitate solet. Quod si multo magis, quam reliqua corporis, cerebrum hic, & in mania laborat; ea res insoliti nihil habet, utpote cum in morbis pariter, & ad eos opportunitate, partem aliquam magis adfici perpetuum sit.

Obesitatis historia.

CDXXXVIII. Obesitas apyrexia sthenica est (CDXXV.): ubi ex secundiore iusto valetudine, vi-

ctu lauto, maxime cibo, item quieto vitae genere, crescit eo magnitudinis adeps, ut actionibus incommodet.

CDXXXIX. Obesitatem sic definitam, morbum esse, morbi definitio (IV.), etiam sthenicum, diatheseos sthenicae, certa signa docent. E quibus valida ventriculi, sive desiderium cibi, sive concoctio spectetur, actio, reliquarumque virium concoctricium robur, luculento documento sunt.

CDXL. Utque in hoc morbo potestatum incitantium stimulus incitationem supra id eius, quod exactae valetudini convenit, ad id, in quo diathesis sthenica constat, attollit; sine quo tanta ventriculi, chylumque & sanguinem facientium instrumentorum, vis esse non posset; sic huic cum reliquis apyrexiarum sthenicarum morbis commune est, ut omnium stimulorum summa multo, quam in reliquis eiusdem formae morbis, nempe cum pyrexia & inflammatione minor, nunquam ad extremam magnitudinem, qua indirecta debilitas nascitur, adscendat, ac ne tanta quidem subsit, quanta ad cor & vasa memorabilius commovenda sufficiat.

CDXLI. Quibus tamen omnibus accidit, ut hae simul & reliquae omnes actiones aliquanto supra sanarum prorsus modum, multo supra diathesin asthenicam consurgant. Et a reliquis sthenicis morbis apyrexiae sthenicae hoc maxime differunt, quod potestates incitantes longe citra id magnitudinis, quod incitabilitatem multum consumit, subsistunt; ut effectu certo discitur. Multo enim diuturniores morbi queislibet aliis sthenicis sunt.

CDXLII. Unde, quantumvis cerebrum propriis

ipsi stimulis, quantumvis eius vasa copia sanguinis adficiantur; nisi tamen ad incitationem hinc natam, ea, quam aliae potestates stimulantes, pariunt, accedat, multo minorem communem effectum fieri, plusque longe omnium potestatum coniunctam, quam quarumlibet separatam vim valere, certum est.

CDXLIII. Diathesis igitur totius corporis in his morbis, quam reliquis sthenicis, ad summam minor; partis, ut cerebri in mania & pervigilio, vasorum sanguiferorum in obesitate satis magna; universa fore tante est, quanta in opportunitate ad alios, plusque in parte laborante viget. Inde fit, ut contra istorum morborum naturam, similiter ad eos opportunitati, ideo veterare solent perstantque; quod summae stimulantis operis mediocritas incitabilitatem nunquam consumit, semper iusto plus incitationis efficit. Magnus cerebri & vasorum his in morbis tumultus ideo magnam incitationis summam non arguit; quod adfectus partis, quantumvis formidabilis, cum totius reliqui corporis adfectu comparatus, toto coelo minor (XLIX. ad LIII) est. Quantumvis enim partem aliquis stimulus urgeat, & inde latius per reliquum corpus pateat; nisi tamen eius opus alii, reliquis partibus admoti, sustentent, ut omnium operis summa totum quidem corpus altius adficiat; stimuli solius effectus in parte conspicuus, in reliquo corpore minus memorabilis erit. Denique gravior quisque morbus semper ab incitatione, quam plurium stimulorum vis coniuncta fecerit, nasci, memori (XXX. XXXII. LVI. CXLVIII.) animo tenendus.

CDXLIV. In his apyrexiis sthenicis, ut pars quaedam, in duabus prioribus cerebrum, in hac vasa san-

guifera, multo magis reliquis, & maiore, quam reliquorum morborum sthenicorum proportione, propterea movetur; quod adfectus partis a stimulis, in reliquas agentibus, multo minus sustentatur; ita stimuli, in partes laborantes sic agentes, reliquum quoque corpus, tametsi minus memorabiliter, tangere tamen intelliguntur. Quam rem ita se habere, diathesis asthenica nulla; sthenica talis, qualis aliorum huius formae morborum opportunitatem continet, hic manifesta (CDLXXX.); reliquas partes moventia remedia, quod mox patebit, hanc curationem expedientia; & his contrariae potestates semper nocentes confirmant. Unde, quicquid stimuli partem adficiatur, id totum corpus, quod toto incitabilitas una & indivisa subest (XLVII.), adficere, etiam hic, ubi minime videri poterat, verum certumque patet.

CDXLV. Quod ad obesitatem proprie pertinet; praeter cibum, reliquas noxas excitantes quoque plus minusve valere, clarissimo hoc indicio scias; quod vires concoctrices, quae ab illarum vi pendent, adeo validae sunt, ut, perfectius suo quam in aliis, qui minime tamen imbecilli sunt, officio fungantur. Quae tamen noxae citra magnitudinis id, quod ad extremum magnum, propiusve huc accedens, incitabilitatem consumendo, incitationem finit, aut per tumultus magnitudinem ad corpus exhauriendum pertinet, incumbunt.

CDXLVI. Sic animi adfectus nimis hic non stimulant. Quod etiam vulgo, pingues miti ingenio dicere solito, notum; cum morosiores plerumque macri sint. Sic a nimia cogitatione, quae magno stimulo est, pingues abhorrere cernuntur. Sic quoque a

corporis motu, quo nimis omnes actiones, maximeque vasorum, concitantur, ac proinde perspiratio multum expeditur, naturali constitutione pingues, eoque magis, quod omnis motus eos magis, quam alios, fatigat, abhorrent. Hinc humoris, quod corporis foraminibus reiici, ab adipis cellulis averti solet, magna illa deferendi, in has per quietem divertendi copia fit.

CDXLVII. Expositis iam horum morborum (CDXXV.) proptietatibus, quoniam partis adfectus ex communi pendet (LIV.), eiusdem generis est (LIII.), ab iisdem noxis excitantibus (LIII.) oritur, iisdemque tollitur auxiliis (LV.); inde loco contentus adfectus, sive inflammatio, sive cerebri aut vasorum, quam aliorum locorum, major adfectus, sit, non alius in alio casu, sed idem prorsus in omnibus esse; ac tantummodo levibus quibusdam nullius momenti rebus differre, & minime diversam curationem requirere, aut distinctiones capitales praebere, credendus, manifestusque, qui totam pessumdedit artem, error tollendus. Recte igitur omnes, de quibus actum, morbi non ad duo genera prius, dein ad species, sed neque in genera neque in species, contra in duas tantum formas, sunt redacti.

CDXLVIII. Porro, cum in omnibus his vis omnis morbosa, sive quantum toti corpori communis est, sive quantum parte magis continetur, incitationem nimiam dando, noceat, & quae illam, eadem hanc auxilia tollant, neque unquam in partem dirigenda sunt (XLIV.); eo spectat omnis haec ratio, ut a valetudine ab omni integra parte, ad maxime sthenicum morbum quaedam crescentis roboris series esse faten-

fatenda sit. In qua serie peripneumonia vel phrenitis summum circiter gradum, obesitas, imum obtinent.

CDXLIX. Has a superiore parte sequuntur, interdum aemulantur, variola, rubeola, vehementes. Quas ita excipit, ut cum iis quandoque saevitia certet, erysipelas summus capitis labor comitans. Cui, non periculi, sed diatheseos tamen, magnitudine plerumque par, succedit rheumatismus. Huic ita proximum est erysipelas mite leneque, ut parem fere locum, ac cynanche tonsillaris, sibi vindicet, ad hanc quam illum, naturae lenitate, multo vicinior. Hi sunt cum pyrexia & inflammatione morbi.

CDL. Quorum duo imum seriei locum occupantes, erysipelas mite & cynanche tonsillaris, adeo ancipitis gradus inter se & cum catarrho, morbo inflammationis experte, sthenico, sunt, ut ex omnibus quis cui in serie praeponatur, incertum sit. Quos tamen infra synocha simplex & scarlatina, quantum haec sthenica est, quantumque utrisque solitus maxime status consideratur, clare collocandae sunt. Imum morborum sthenicorum in serie locum variola & rubeola lenes occupant.

CDLI. In tota hac serie non tam tituli relati, non tam nomina, quam vis morbosa, spectanda sunt, Causae enim certa, non symptomatum incerta & prorsus fallax, ratio consideranda. Symptomatum investigatio, quae hactenus omnis fructus expers, summo arti detrimento, & feracissima errorum capitalium origo, fuit, pariter in medicina, ac in reliqua philosophia, reconditarum causarum quaestio, repudianda, cautissima praecavenda, nosologia damnanda.

CDLII. Infra proxime relatos morbos mania, pervigilium & obesitas deprimenda. Quos infra & recensitos supra morbos secunda ab omni parte valetudo defigenda.

CAP. II.

Sthenicae morborum formae curatio.

CDLIII. Quo commodius sthenicae morborum formae medendae consilium in usum deducatur; id quale ante (LXXXVIII.) propositum, prius vehementi diathesi, dein leviori, & partium periculo sic adhibebitur, ut solius auxiliorum magnitudinis habeatur ratio (LXXXVIII.).

CDLIV. Cum igitur vehemens diathesis, ut in peripneumonia (CCCXLVIII.), phrenitide (CCCLXI.), rubeola (CCCLXXVII.), & erysipelate gravi cum capitis adfectu (CCCLXXXII.), cernitur, ad auxilium potentissimum & celerrimum protinus fugiendum, sanguinisque non tantum primo, quantum multis, qui soli fere ei curationem credunt, sed plus tamen, quam aliis placet, detrahendum.

CDLV. Nulla omnibus mensura, convenit, quae alia in aliis, aetate, sexu, robore noxarum excitantium, magnitudine, variantibus, est. In puerili aetate, quae praeter rubeolam rarius relatis (CCCLXXVII.) morbis adficitur, & multum provecta, quae minus etiam florente periculi subit, ideo parcior detractio respondet, quod utraque aetate minus inctiationis,

in illa incitabilitatis magnitudine, in hac stimuli seu potestatis incitantis, quam ante, maioris necessitate, modum ei statuentibus, ut causa morbos continet.

CDLVI. Detractioni finem statuendi norma certior, ingravescentium symptomatum sublevatio, vel pro tempore solutio, datur. Itaque, si detracto sanguine calor ingens, si pulsuum durities, (CCCXXXIV. CCCLXIII.) si capitis aut pulmonis adfectus (CCCXLIX. ad CCCLXI.), si corporis siccitas, (CCCXLVII.) decesserint, multumve remiserint; iamque modica magis temperies (CCCXI. CLIX. CLXXXIV), maior pulsuum molities, minor (CCCXXXIII. ad CCCXXXVI. CLV.), frequentia, & summum corpus humidius, saltem minus arens, cernantur, si dolor ubique consopitus (CCCXLIII.) spiritus levatus (CCCLIV.), pulsum delirium (CLVIII.) sit; scire licet, sat pro tempore fusum humoris vitalis.

CDLVII. Ad quem fructum consequendum, in aetate firmata florenteque, unciae x. vel xii. multo minus ante postque, plerumque sufficere comperientur. Qua regula parum ubivis respondente, ad eam, quae symptomatum remissionem spectandam proponit, ut fidam magis decurrendum.

CDLVIII. Quoniam localis adfectus (CCCXLIII. ad CCCXLVI.) ex diatheseos magnitudine pendet, ideo nullo propter illum praecepto proprio memineris opus esse.

CDLIX. Hoc facto, primaque morbi fracta violentia; deinceps ad alvi purgationem, proximum usu remedium, transeundum. Ad quod praestandum

non violentia, qualia multi olim secuti sunt, utpote quorum stimulus, primum opus comitans, noxae esse possit; sed leniora, quales sales neutri, maximeque Glauberianus verus, habentur, quae summopere debilitant, & magnam vasis humoris abstrahunt vim, tractanda. Ut haec cum sanguinis detractione alternis diebus superiore seculo vir prudens adhibuit; ita, si morbus forte ingruat, nihil eodem die obstat eorum usui.

CDLX. Alvi post detractum parcius sanguinem purgatio plus, ad diathesin plogisticam solvendam, quantavis sanguinis fusione, valet; quia, quod supra dictum (CCLXXXIII.), sic debilitans potestas, quae plus ibi semper, ubi primum admoveatur, debilitat, pluribus locis, nec solum in vasis sanguiferis maioribus, sed & in horum plurimis finibus, admovetur, & incitabilitas latius, eoque aequalius, adficitur, & efficacius imminuitur incitatio.

CDLXI. Nec, ut scalpelli nimio saepeque nocenti, usui purgatio sic supersedet; ille tamen omnino, in his maxime diatheseos morbis, hoc omittendus; quod ad eam magnitudinem incitatio stimulante opere saepenumero pervenit, quae, incitabilitate consumpta, seque finita (CCLXXXI.), praesentem mortem intentat.

CDLXII. Cum his auxiliis (CDLIV. ad CCLXIII.) una cibis omnibus, praeter materiam e genere plantarum petitam & fluentem datam; item merace, praeterque aquosam adiecto acido, potione omni; (CCLXXXIV.) semper abstinendum. Quod praeceptum a prioribus non tam neglectum verbis, quam re & usu, videtur; quippe quod leviter, obiter, &

quasi nullius momenti esse crederetur, sub administrationis titulo sic tradi, ut vis eius in animum minime descenderet, adsueverit. Nullus stimulus eo, quem victus adfert, potentior aut nocentior est, eoque, quamtumvis sanguis, quamtumvis, humori serosi alvo, detractum sit, nisi ille accuratius caveatur, hoc omne facile frustra esse potest. Quod cum ita sit, humida materia tamen, e plantis petita, non ideo interdicendum, quod aquosa vasis non retinetur, sed, minima facile penetrans, variis horum extremis finibus diffluit, aliusque, mox memorandi, remedii vim sustentat, fructum amplificat.

CDLXIII. Una etiam cum prima sanguinis detractione, prima alvi purgatione, item abstinentia, cum potione aquosa, temperiei rationem in primis habendam ne obliviscaris. Nam, si frigus semper & proprio opere debilitat (CCLXXXII.), si solum, quod calor ei succedens aut cum eo alternans, eius effectum in stimulantem mutat, aliter agere videtur; si solum variolae medetur, vehementem probibet, si optimum adversus catarrhum est remedium, & ubi calor vitatur, in omni morbo sthenico summopere iuvat, quin idem in summae diatheseos sthenicae morbis summopere frugiferum sit, neutiquam dubitandum. Unde

CDLXIV. Non aliud in variola, aliud in reliquis morbis sthenicis opus eius, sed idem prorsus, est. Quin, ut in omnibus huius formae morbis solum frigus ad salutem satis est; ita, quoties diathesis, ut in iis, de quibus sermo est, hic morbis ad extremum saeviens praesentis opis eget, quia omnis mora periculum praeceps adfert; quia remedia relata (CDLIV,

ad CDLXV.), ad morbum solvendum sufficiunt, ut certus usus exploravit; idque frigoris, quod idem efficeret, neque semper in promptu est, neque ab omnibus administrari potest; & beneficium eius multorum fidem superat; ob has causas, proposita medendi (CDLIV. ad CDLXV.) ratione non desistendum, detractaque stragula, veste reliqua, cubiculo refrigerato, pro cubili lectove sedili quam plurimum suffecto, laboranti consulendum, & diuturnitate minoris frigoris brevioris magnitudo pensanda.

CDLXV. Cui curationis rationi solus intensissimi frigoris usus hoc praeterea plerumque posthabendus, quod, propter necessariam eius brevitatem, protinus ad maiorem, quae, maiorem stimulum incitationis, quam ante, certe nimium (XL. XLIII.) crearet, temperiem foret redeundum.

CDLXVI. Quoniam tale frigoris opus (CDXIV. ad CDLXVII.) est, quae ei eruptionis in rubeola introvertendae potestas falso tribuitur, ea non soli frigori, sed calori & aliis stimulis, plus, quam absque praeeunte illo, sic, ut explicatum (XIV CXXXIV.), incitantibus, tribuenda. Et quidni? Si variolosam frigus eruptionem non intropellit, sed, amplificatis vasorum perspiratoriorum, quae diathesi plogistica clauduntur, diametris, exitum materiae contra summopere iuvat; cur in simillima re eiusdem aliud, immo contrarium, opus iudicetur? Iterumne falsa notio, qua contraria facere causa prorsus eadem censeatur, refellenda? Imminuit in variola frigus eruptionem, ut conceditur. Idem, ut eadem in variola evanescat, efficit. Quid tum? Rem veram propius adspice. Idemne in utroque casu, an alius, effectus

credendus? Unde, quae evanescit, introverti materiam nosti? Quibus indiciis id firmabis? Fatere verum. Hasque doctrinae alexipharmacae, quae caloris & alios stimulos expedire, frigus impedire ponebat, perspirationem reliquias alteras esse, candidus agnosce. Cuius errorem doctrinae, cum in variola, & aliis casibus vir illustris ostendisset, quia non ad rubeolam accuratius eandem curationem deduxit, ideo nec tu, qui latum ultra eius verba nequis unguem decedere, deducis. Sed phlogisticam rubeolam pariter ac variolam, propria curatione spectata, cernere poteras. In utroque nonne omnia felicia remedia debilitantia seu antiphlogistica sunt? Et, cum in variola frigus quoque debilitare, seu, ut dicis, sedare, manifesta fides esset; nonne in rubeola non stimulare, vel adstringere, & sic eruptionem repellere, sed idem opus, ac in variola, peragere, suspicionis inde causa supetebat? Usque adeone cogitare, & propria prudentia uti, difficile & arduum est, ut nulla in re, magna hominum pars, etiam eorum, qui alios docendi & ducendi munus in se suscipiunt, ipsi reputare in animum inducant? Verum in hoc casu peculiarem frigoris actionem contendens, quia, postquam eruptio evanuit, omnia symptomata violentius & saevius ingruunt. Quae tamen res quid pro te, an aliquid omnino, & non prorsus contra, faciat, adverte. Frigoris quam credis actionem stimulantia, an debilitantia, sunt secuta? Si illa; causa malis iis imputanda; quae, ut supra dictum (CDLXVII.), nimiam incitationem post frigus, plusque quam aliter, creant; si haec, frigus causae particeps esse, suspicio non deferet. Sed non ita est. Et, quoties frigo-

ris opus aucta diathesis secuta sit, id ideo factum, quia caloris & aliarum noxarum stimulus non satis cautus sit (ibid.). Quod caloris usus in curatione tua praeceptus, nedum vetitus, liquidissime declarat. Nec mirum. Nam, si catarrhi causa medicos adeo fefellit (CDVIII. ad CDXII.), catarrhalia rubeolae symptomata fefellerint quoque necesse est. Et, si repudiatae verbis doctrinae re saepe retinentur, quid alexipharmaca quoque quo minus in hac parte retenta sit, obstat?

CDLXVII. Si frigus igitur ita vix administrari possit, ut a stimulis comitantibus, succedentibus, aut cum eo alternantibus, concitatus effectus prohibeatur, sive id culpa medici, sive difficili rei natura fiat (CDLXV. CDLXVI.); rubeolae tamen, cum aliis eiusdem notae exanthematis, commune prorsus est, ut calor fugiatur, frigoris magnitudo diuturnitate pensetur, & stimulans quaeque potestas maxima cura caveatur. Unde ad nihil frigoris, proprie rubeolae nocentis, opinio recidere, in hoc pariter & aliis eiusdem formae morbis, manifesta est.

Curationis Redintegratio.

CDLXVIII. Post adhibita, quae relata sunt, auxilia, symptomatis (CDLXIV. ad CDLXIX.) redintegratis, idem medendi rursus obeundus ordo, sanguis rursus mittendus, alvus purganda, refrigerare corpus, & per inediam attenuare, non desistendum; eaque omnia, donec symptomatum tumultus componatur, & salus, saltem pro tempore, reponatur, forsitan tertio, vel amplius, persequenda. Quo facto;

CDLXIX. Si diathesis prope iam soluta, si capitis, pulmonum, vel interior quivis, adfectus iam lenitus aut pulsus, videbitur, nec redituri morbi metus tamen decessit; tum ad lenius debilitantia confugiendum; Sanguinis missio, alvique purgatio, sudori, quem comitanti caloris stimulo corpus iam, mitigata vel finita diathesi, ferendo erit, posthabenda. Cuius ante usum pauca, de tota sanguinis detrahendi summa, dicenda videntur.

CDLXX. Ut in singulis detractionibus, ita in tota detrahendi copia, summa media ei, quam vulgo medici, nunc nimium, nunc parum, detrahendum iudicantes, secuti sunt, esse debet; eoque magis, quod, inter alia relata auxilia, curatione magis divisa, plurimo vitalis humoris profuso minime nunc opus est. Spectanda aetas, ut ante (CDLIV. CDLV.), spectanda vitae ratio, quantum stimuli recens praecesserit, intuendum, corporisque status cum symptomatum magnitudine & curationis effectu conferendus. Inde de sanguinis & alia detractione iudica, quidque eiusmodi porro faciendum, quid aliud, videatur, perpende. Ad summam, eo minus cuiuslibet auxilii, quo largius alia in usum vocentur, opus fore videbis, nimiaeque detractionis periculum vitari, & saluti prudentius consuli, cognosces (CCXXXVI ad CCCIV. cap. 12.).

CCLXXI. Quod ad detractionis sanguinis genus attinet, is semper maxima vena detrahendus; propterea quod, incisa minor, aut arteria, satis, quo vasa latius subleventur, non praebet, & incisam arteriam incommoda quaedam premunt. Quantum ulla certior, in re variante, regula statui possit, intra

ternos aut quaternos dies binae librae, coniunctis aliis auxiliis, aetate media, minus ineunte aut provectiore plerumque satis erunt.

CDLXXII. Omnem sanguinis detractionem, quam diu diatheseos sthenicae paulo plus supererit, alvi purgatio sequi, nec reliqua cura proposita negligi, debent. Alvi vero purgatio, quae & uno impetu quovis tempore podagrae accessionem refert, cynanchen tonsillarem & erysipelas mediocre, etiam affecto capite, solvit, in febribus iustis manifesto detrimento est, quae in dyspepsia, in asthmate, & omni morborum in debilitate, sive recta sive indirecta, positorum genere, plurimum & conspicue, nocet, pessimaeque, per totam asthenicam morborum formam, curationis, vulgo receptae, pars magna est, quanto magis in his omnibus fugienda, tanto certius in sthenicis amplectenda, nec in ullo paulo graviore, quales ii sunt, quibus sanguinis detractione opus est, omittenda, sed sic, ut dictum (CDLXI), & ut olim tractata est (CCLXXXIII. CD.). tractanda. Cuius remdii, ubi prodest, diffidentiam, ubi nocet, fiduciam, quas doctrina spasmodica invexit, ut falso & futili undique principio receptas, supra omnia cavendum.

CDLXXIII. Ut nihil in asthenicis morbis plus hactenus usitatum, nihil cum maiore damno, & saepe praesente pernicie, est; ita, ob eam ipsam causam, nihil ad sthenicorum morborum curationem felicius.

CDLXXIV. Vix dictu credibile est, quantam alexipharmacae curationis odium optimis auxiliis notam inusserit, quam pravum eorum usum invexerit, re-

ctum perveterit. Quod genus alia, supra relata, ne in praesentia repetantur: sudor, qui, quoties diathesis mediocris, quoties non summa est, aut locum vitae necessarium minus adficit, id est, in omnibus huius formae morbis, praeter eos de quibus hic agitur, ineuntes, summopere iuvat, ad salutem efficacissimus est; nuper horum tamen omnium, maxime post spasmodicam doctrinam recipi, & paulatim invalescere coeptam, uno excepto, curatione, velut inutilis, velut nocens, penitus exulavit.

CDLXXV. Verum enimvero, praeter rheumatismum, quem is, saltem uno medicamento motus, solvere conceditur, si etiam cynanchen tonsillarem, si ipsum erysipelas, si simplicem synocham, pro liberiore aut parciore eius usu, certissime vel sublevat vel ex toto solvit; si hoc ipsi vulgo, si medicis in usu versatis, notum & compertum; quam tu rationem, quam rem certam & exploratam, quo minus post vehementissimam diathesin, aliis remediis multum imminutam, iamque ad exiguam, cui hoc idoneum, deductam, idem non adhibendum sit, adferas, qua fretus facundia, id cuiquam persuasurum te confidas?

CDLXXVI. Calorem, qui primum sudandi opus comitatur, nocere posse, dices; nam certo nocere, nunquam periculo facto, non audes dicere. Ut id tibi, in saeviente, & indirectam debilitatem minitante, diathesi (XXVIII, ad XXXVIII. CXXII.) lubenter tribuetur; ita in medioeri, sive ab initio, sive aliis auxiliis facta, eoque post expositam medendi rationem, illum calorem magna toto summo corpore humoris profusione non pensatum iri, &, hac va-

sorum parte stimulo gravi liberata, aequaliorem in universis, & toto genere nervoso, incitationis deminutionem fore, non etiam dabitur. Si numerosa vascula, ad intestina, ad ventriculum, tendentia, diathesin phlogisticam adeo potenter imminuunt (CDLXXIV. CDLXXV.), quo modo in similibus perspiratoriis similis purgatio, non eodem pertineat? Cui rationi si res, modo relatae (CCCXCII.), porro coniungentur; quid, contra sudoris tum demum, cum calor, non necessario maior, opus eius comitans, amplius non nocere, ipse multum iuvare, potest, usum, habebis dicere? Obiice res, obiice rationes. In omnes te species verte, nihil unquam solidi contra hoc remedium adferes. Sed unde rursus hoc omne? Nullusne vitia fugientibus in contraria currendi finis erit? An nihil curationi alexipharmacae & pariter malae, vel etiam peiori, medium invenietur? Si illa, saeviente peripneumonia, motum stimulantissimis medicinis sudorem praecipere non metuit, ideone tua curatio certum eius & tutum per lenissimas usum, recusabit? Si Sydenhamus, in sthenicorum malorum curatione, caveri calorem, quod incitationem certe imminuit (CLXXVIII.), voluit, an tolerabilis is, qui salutis efficacissimum auxilium comitatur, ideo etiam vitandus, & magnus ad summam fructus contemnendus? Si plura, uno potentius, incitatione imminuere ignoras (CDLXXI.), & ea tibi venia danda erat, an, quod, empirici saltem more, quaedam prodesse, nocere alia, non vidisti, haec, non ingenii, quod a te non riquiritur, sed sensus communis, culpa quoque condonanda? Si, nullis praecedentibus, cogitare & aliquid invenire,

nimium & non a te sperandum erat, an, e mille; omnes medicinae partes tractantibus, & aliud alio quodam tenus, recte, secus, sentientibus, nihil expressisse te, sed unius viri vestigiis usque haesisse, non aliqua dignum admiratione censendum?

CDLXXVII. Non igitur in hac consilii parte, post administrationem relatam, sudor non movendus; eoque magis, si ad integram salutem aliquid adhuc deesse, aliquantum diatheseos sthenicae superesse, & ipse iam sponte procedere, videbuntur.

CDLXXVIII. Ubi sponte suborientis sudoris signa cernuntur; nihil aliud faciendum, nisi, ut prius accuratius vestis adiiciatur, linea removeatur, lanea corpori adponatur, potio tepida detur, omnis aura quo minus adspiret caveatur, satisque longum temporis spatium, decem saltem aut duodecim horas, sudetur. Si hac ratione copiosius toto corpore sudor undique promanabit, non erit opus medicina. Qui, postquam bene cesserit, & partum ante levamen auxerit, si sub finem forte deficiat; pulvere demum Doveriano sustendandus eo usque, donec speratus fructus provenerit. Cui administrationi, frigida quandoque data, dein tecto curatoque corpore, saepe ad sententiam rem procedere, addendum. Utque in reliquis, quae ad hanc consilii partem pertinent, casibus tum sudandum, cum, diatheseos mediocritas, reliquis auxiliis parta, sinet; sic in rubeola, quia tempore, quo materia decedat, opus interposito est, hoc etiam spectandum; & nunquam mature huius auxilii periculum faciendum. Postremo si calor forte offendet, si minore cum levamine aut aliquo incommodo, sudor quando profluet, is protinus se dan-

dus. Non enim in curatione plura nequicquam, sed, ut aliorum defectum alia compleant (CDLXXI.), & aequalius incitatio toto corpore componatur, hic sedulo praecepta sunt.

CDLXXIX. In omnibus vehementis diatheseos casibus omnia memorata, plus minusve, & aliter alia, prout diatheseos vis reliqua validius quodque aut imbecillius, largiusve aut parcius, requirat, in usum auxilia producenda, & curationis orbis amplificandus. Et, praeter illa,

CDLXXX. Quaedam levioris momenti, cuiusmodi acida & nitrum, quaedam incerti, qualia sanguinis per hirudines, per cucurbitulas, & per vesicatoria seri detractio, sunt, tanquam inprimis operae pretium, memorantur. Quorum acida, quantum potionem gratiorem reddunt, &, adfecto pulmone, tussim non concitant, atque quodammodo refrigerant, magisque, si desiderabuntur, permittenda. Vim nitri refrigerantem, quam pro recepta opinione, minorem esse ne nescias. Reliqua quid valeant, aut, an omnino valeant, postea dicetur.

CDLXXXI. Ut ad alteram consilii partem transeam (CDLIII.); ubi lenior diathesis, ut in reliquis, phlegmasiis, & sthenicis adfectibus indicatis, ut variola, rubeola, mitibus (CDXII. ad CDXXIV.), item scarlatina, subest; minor debilitantis potestatis in auxilium vis requiritur; eoque neque omnia relata remedia, neque singulorum tantum fere, quantum in altera consilii parte, rectus usus postulat;

CDLXXXII. Omnibus his casibus, ne reheumatismo quidem, quem maxima diathesis continet, excepto, parum necessaria sanguinis detractio est, illo-

que excepto, paulo liberior, nocens. Ubi enim incitatio non maxima; contra mediocris, est, & vix id, quod ad vehementiores morbos opportunitatem creat, superat; ibi maxime debilitante potestate, tanquam adversus vehementissimum morbum, uti, medicinae nomine, discrepat. Et, quoniam in sanguinis detractione, id maxime agitur, ne ad extremum nimia incitatio, in nullam transiens, mortem inferat; qui metus a mediocri, qualis morborum, de quibus hic verba sunt, diathesin causa continet, longe abest, ob has causas, aptanda curatio causae, & sanguinis iactura vel omnino abstinendum, vel parcissime utendum.

CDLXXXIII. Non solum igitur in debilitatis morbis, qui alterius formae sunt, quorum in plerisque plus minusve vitalis humoris fundere fuit, estque moris, sed in omnibus etiam huius formae, praeter valde vehementes, scalpellus cohibendus.

CDLXXXIV. In rheumatismo, licet diathesis saepe satis magna sit, non ideo tamen sanguinis solita profusio requiritur. Nam, ut omnis diathesis semper in aliqua parte, quam caetera quavis pari, sic sthenica huius morbi in summo corpore, quam in pari intus spatio, maior reperitur. Quod ideo fit, quia potentissima noxa calor, frigori succedens, aut cum eo sic alternans, ut eius effectu ipsius stimulus augeatur, praecipuam suam vim in summum corpus dirigit. Hinc, post nimiam sanguinis detractionem, saepe tamen obstinatus morbus recurrit, Cuius rei causa, perceptis principiis huius doctrinae, neutiquam obscura. Sanguinis detractio diathesin sthenicam maxime in vasis rubris, minus in extremisque-

isvis, minime in perspiratoriis tractuque musculorum dispositis, imminuit; eoque minus, quod operi eius caloris opus usque resistere periclitatur. Quam explicationem, certum medicorum, frustra esse dilectum suum remedium, saepe querentium, testimonium confirmat.

CDLXXXV. Ob quam causam sudor, de quo supra relatum, huic morbo in primis accomodatur. Ad quem, si vehementior forte diathesis, calore, doloribus, maxime noctu saevientibus, & pulsibus validis ac duris, insignitur, unciis duodecim sanguinis prius detractis, eademque, quae proposita est, temperiei victusque ratione babita, protinus decurrendum. Qui sudor, quo certius toto corpore profluat, diutiusque permaneat, pulvere Doveriano movendus, ac per duodecim horas iustas, dein aliquot amplius mador, ad symptomatum remissionem, servandus; hisque repetentibus, rursus excitandus. Caetera curatio reliquis auxiliis, & prae ceteris tenui victui & temperiei iustae committenda.

CDLXXXVI. In quo post sudorem casu, ut & synocha simplice, scarlatina, cynanche tonsillari, catarrho, erysipelate, item variola & rubeola lenioribus, cum diathesis paulo magis viget, sed longe tamen a vehementis illius, qui primum expositus (CCCLIII.) casus, saevitia recedit; vel parca perquam detractione, dein alvi purgatione, medicamento relato, potissimum utendum; tum sudor levior, brevior, non aplius viii. vel x. horas servandus; per totum tempus inedia, potione tenui, corporis & mentis quiete, frigore, nisi ubi sudatur, & tum quam minimo calore, denique tranquillitate animi, sicut ante prae-

ceptis

ceptis, ingrediendum. Quorum coniunctus auxiliorum usus eorum morborum cuivis facile par tollendus.

CDLXXXVII. Quibus tamen omnibus haud semper opus erit. Saepe diathesis adeo lenis occurrit; ut unum aut alterum, semel bisve adhibitum, sufficiat ad salutem. Tantula diathesis ea est, ubi, nisi paulisper initio, horror, languor, dein calor, perquam modicus est, pro rata parte parvulam in summo corpore diathesin, indicans; ubi quasi lassitudo vix ulla est, in voluntarii motus instrumentis eandem modicam ostendens; ubi ventriculi vis permanet, mediocrem hic incitationem declarans; ubi denique reliquae tranquillae toto corpore satis actiones, in parte laborante sola conspicue patiuntur. Quo in casu, saepe simplex alvi per salem Glauberianum purgatio, saepe sine hac frigus, quies, & inedia, morbosam incitationem ad salutarem deduxerunt. Sexcenties cynanche tonsillaris; sexcenties catarrhus, sexcenties synocha simplex, quin & ipsum erysipelas etiam vultu inflammato, sic sublata sunt. Neque scarlatina, non adeo quandoque lenis, ut eidem administrationi cedat.

CDLXXXVIII. Sic incitationis & diatheseos perpetua inter medendum magnitudinis habenda ratio; saepe vocabulorum spernenda. Nam, ut hac mente, synocha simplex (CCCXII) a phrenitica (CCCLXI. ad CCCLVI.), erysipelas leve (CCCXCII. ad CCCXCV), a vehemente (CCCLXXXII. ad CCCLXXXVII.), supra distincta sunt; ita saepe usu venit, ut catarrhus ad id magnitudinis adsurgat, quod peripneumoniam minetur aut inferrat, haec multo solito lenius grassetur. Quibus in rebus, nul-

lo nominum respectu, sola incitationis magnitudo medentem regere debet.

CDLXXXIX. Altera hic utilis cautio est, ut de pulsuum, de temperiei supra cutem, & huius alias, statu prudenter, & his principiis diligenter pensatis, iudicetur. Pulsuum in omnibus morbis sthenicis modica frequentia est. Cum hac durities & plenitatis aliquantum coniunguntur. Ubicunque igitur ii perquam celeres sunt, sthenicam in asthenicam diathesin, incitationem nimiam in nullam, transiisse, vel ab initio morbum asthenicum fuisse, suspicandum. Ad quam dubitationem demendam, & verum explorandum noxae excitantes, habitus corporis, aetas, &, praecesseritne, an non, aliqua contagio, circumspicienda. Cutis calor, his morbis & febribus, prorsus contrariae notae, communis & anceps est. Qui, cum ab impedita undeunde perspiratione pendeat, haud unquam in incitationis status indicium detorquendus. Et, quoniam communis iisdem, utut diversis, morbis cutis siccitas, in asthenicis a debilitate, pendet, quo, quid ea res significet, certius cognoscatur, caetera symptomata, noxae excitantes, consideranda. Solum denique, abundet an deficiat, incitatio (XXXIII. CLI. ad CCXXXVII.), omnibus communis communibus signis inquirendum, nec de propria quavis forma temere iudicandum.

CDXC. Relatis igitur notis cum reliquis omnibus & diathesi comparatis, ad antisthenicam aut stimulatricem curationem accingere. Vix graviores morbi sthenici, quales primi memorati (CDIV.), cum contrariis confundi possunt; leniores quotidie confunduntur. Qui, ut facile a similibus sui asthenicis, dis-

tinguuntur; ita, si cui ea tamen anceps distinctio videbitur; is, ne in sthenicis quidem, propter eam lenitatem, mittendum sanguinem (CDLXXXIII. CDLXXXIV.), nedum in asthenicis, quibus adeo debilitans potestas veneno est, ut suo loco dicetur, sciat; suamque sic ab errore tutam, contrariam noxae, curationem fore, monitus intelligat. Si enim, quamvis sthenica, levis tamen diathesis subest, eam saepe in contrariam temeraria sanguinis detractio praecipitabit, & semper inutilis erit. Si contra, qui morbus pro sthenico fallat, is asthenicus esse, procedens, manifestabitur; tum, quicquid sanguinis demptum fuerit, id omne ad malum augendum erit. Quae tamen curatio perniciosa quotidiana plures ad orcum, omnibus humani generis pestibus, demittit.

CDXCI. Ut inedia, frigus, & alvi purgatio, adoccurrendum variolae malo statui, sufficiunt; sic, ubi haec idonea praeparatio neglecta est, iamque conferta suboritur eruptio, praeter illa, reliquorum quoque (CDLIII. ad CDLXVIII.), ex supra relatis auxiliorum, dempto sudore, periculum faciendum. Sudor autem ideo vitandus; quia comes eius stimulus, sthenicam in cute diathesin augendo, ad humorem perspirabilem cohibendum, materiam, contagiosam sub cuticulam detinendam, & pyrexiam, inflammationis symptomaticam, quae secunda febris vulgo vocatur, accendendam, pertinet. Quae curationis proprietas ex symptomatis relati proprietate sumitur, & traditis hic preceptis (CDLXIII. ad CDLXVIII.) nihil obiicit. Queis convenienter, licet relata remedia sufficere certus usus firmarit, ante tamen eruptionem, tam sudoris, quam sanguinis, detractionis

usui, reliquis morbis sthenicis cum hoc communi, nihil obstat. Denique, ut victus tenuis, frigus, & alvi purgatio, sic certo respondent; ita reliqua, sthenicam diathesin auxilia tollentia, ad eundem hic quoque effectum valent. Quod, perpetuae horum principiorum constantiae monstrandae causa, dicendum; nec ab aliis sthenicis cum pyrexia morbis variolam, nisi eruptionis proprietate, certum cursum peragente, & celerem curationem respuente (CDXVII. ad CDXXII.), differre iudicandum.

CDXCII. Debilitatis signa, diatheseos vehementiam, sequentia, & per indirectam debilitatem certum mortis periculum minitantia, non eo, scilicet, expectanda sunt, ut, postquam inciderint, curentur; contra auxiliis, iam fusius propositis, mature latis, prohibenda. Quod ubi non factum fuerit, istorum morborum, quae manifeste iam asthenica est, ratio ad asthenicam formam reiicienda.

CDXCIII. Quoties, ut in gastritide, enteritide, nephritide, cystitide, hysteritide, hepatitide (CDII.), cum pyrexia, quam stimulorum, acrium, compressionis, occlusionis, & similium offensarum, in sensibilem partem agentium, opus concitaverit (LXXXI), diathesis sthenica forte coniungitur; haec, quia pyrexiam exasperat, suis remediis, nempe debilitantibus iam expositis, tollenda. Quae simul & asthenica cum desunt, quiescendum; & asthenica, quod facile fieri potest, diathesi praesente, ne pessimus accersatur morbus, stimulatrice curatione insistendum. Nec, ubi illud vel maxime agitur, ideo princeps malum attingi, eius contra effectum, non causam sollicitari, & totam rationem, ad locales morbos,

post memorandos, attinere, memoria deponendum.

CDXCIV. Cum omnibus auxiliis relatis, mentis otium & animi tranquillitas, in ómni diatheseos parte commode, in maxima necessario, servanda; eoque magis etiam, si cogitationi & adfectuum stimulus paulo vehementior morbi faciendi particeps (CDXXVII. CDXXXIII.) fuerit.

CDXCV. In mania igitur & pervigilio, huic praecepto imprimis, tantumque, quantum fieri potest, studendum. Quorum in hoc propria cogitatio, & animi commotio, maxime ante somnum petitum, certiusque utriusvis consuetudo, fugienda; stupidi libri quiescenti recitandi; cupiditas, ultio, delicti aut facinoris recordatio (CDXXXIII.) avertenda; variique stimuli, qui, ad extremum agendo, incitabilitatem deterunt, & sic somnum conciliant, cuiusmodi exercitatio, potio merax solita, caena modica, postremo calor, adhibenda; quae indirectam debilitatem inferunt.

CDXCVI. Eandemque magni, ad universam hanc doctrinam roborandam momenti, rem confirmat; quod eadem, quae pervigilio, maniae quoque, sed aucta magnitudine, ut altioris incitationis morbo, prosunt. Sic non mentis quies aut animi tranquillitas, quae utraque prorsus hic periit, sed, commotioni & enormi cogitandi vigori, contrarius status quaerendus. Cumque nimia mentis aut animi vis, vel utraque, potentissima hic noxa sit; ita metus, terror, iniiciendus; ad desperationem insanus agendus; in magnam motus voluntarii instrumentorum incitationem remedium iumentorum labor assiduus imponen-

dus; tenuissimus victus, aqua potui, danda; hac frigidissima saepe mergendus aeger, diu & prope ad mortem totus tectus servandus.

CDXCVII. Si in phrenitide cerebrum, in peripneumonia pulmones, in rheumatismo artus exteriores, plus, quam in alia parte, diathesis possident; quid obstat, quo minus mania & pervigilium etiam magis in cerebri, in quod praecipue noxae agunt, minus in reliquarum partium, ubi illae minus possunt, adfectu consistant? Postremo, quoniam primum alias partes auxilia moventia his morbis opifera sunt (D); id, ne in iis quidem, ubi maxime credas, adfectum morbosum totum in parte clare laborante positum, sed universum corpus eius particeps esse, unam ubique ac indivisam incitabilitatem (XLVII. ad L.) patere; in totam eam noxarum excitantium pariter, & auxiliorum, cum inaequalitate toties relata, vim dirigi, certaque & stabilita huius doctrinae fundamenta esse, confirmat.

CDXCXIII. Ut haec in mania & pervigilio praecipuae noxae sunt, praecipue cerebrum laborat; ita, in obesitate maxime memoria dignae noxae sunt, cibus ex carnea materia paratus, & quies; qua, exercitationis stimulus, corpus lassando & fatigando, iam ad indirectam debilitatem vergit, deesse ponitur. Sed cum, post eundem genere & copia cibum, eandem quietem, alii pinguescant, alii macri permaneant; inde, vires concoctrices omnes in aliis plus, in his minus, valere, eoque reliquas incitantes noxas ad eam rem contulisse, & incitationem pro ratione sequi; constat. E noxis huc spectantibus, mentis facilis actio, tranquillitas, animi, quae modici stimu-

ii sunt, obesitati favent; cogitandi labor, adfectuumque consuetudo, qualis irae indulgentia, qualis morositas, est, obstant. Obstat motus corporis, qui humorum intus copiam imminuit, &, quoties magnus est, fatigat ac debilitat. Obstat larga potatio; quae, similiter incitationem, stimuli magnitudine aut diuturnitate incitabilitatem usque consumendo, deterit. Contra potestates favent sunt, placide, nimisque aliquantum, agentes; sed nunquam eam actionis magnitudinem, quae ad indirectam debilitatem inclinat, adipiscentes; molliter & iucunde procedentes; maxime perspirationis modum servantes; sic vasa sanguine replentes, sed, quia motus cavetur, non eorum incitationem summopere intentantes; perque tranquilliorem eorundem motum, humorem, alias foraminibus externis discessurum, in adipis cellulas diverti sinentes. Hinc, licet, ut supra dictum (CXXXI. ad CXXXIV. CCLXXXI.), sanguinis abundantia maximus quidem stimulus sit; sine aliis tamen stimulis, eoque potentissimo, quem motus muscularis (CXXXII.), praebet, satis magnam, sine morbo memorabiliore, tolerari posse, & ad sthenicos quidem opportunitatem semper, non ipsos protinus, facere, manifestum. Hinc, quem in nimiae incitationis, aut sthenicae diatheseos ordine, locum obesitas obtineat, quanto noxae stimulantis, queisque prae caeteris stimulis nascatur, intelligitur.

CDXCIX. Cum causae magnitudini curationis accomodanda (C.) sit, ad hunc quoque morbum tollendum commune consilium sufficit (CCLI.); scilicet, ut incitatio nimia ad salutarem deducatur, & cuique noxae par auxilium opponatur.

D. Minus igitur, qui hic praecipua noxa, cibi dandum, plus exercitationis subeundum. Haec ad curationem sufficiunt.

DI. Sed ad communem hanc doctrinam confirmandam, simul & illustrandam; omnia, quae summopere, plusque, quam huius morbi noxae relatae, incitationem movent, & ad indirectam debilitatem inclinant, eodem pertinere; pinguedini vel occurrere vel mederi; idque ad maciem eam, quae cum debilitate coniungitur, usque facere, dicendum.

DII. Optima cibi diminuendi ratio est, aliquantum materiae, e plantis petitae, cum mediocri carnea coniungere. Cui proxima est, hac abstinere, largius illam sumere. Quorum prior iis omnibus magis convenit, qui debilitatis morbis cuiusmodi podagra, dyspepsia luxum sero secuta, asthma, epilepsia, & similes, haberi debent, opportuni sunt. Posterior ibi solum respondet, ubi magnus alioquin vigor, ad sthenicas pyrexias opportunitas est, & flore aetas. Quae tamen ne in hoc quidem corporis statu, nisi pro tempore, persequenda; quia tanta est eius materiae debilitandi vis, ut, dum ad quamlibet obesitatem tollendam satis superque, praesertim exercitatione addita, est, tamen diatheseos asthenicae, & omnium inde pendentium morborum, efficax in primis reperiatur.

PARS QUARTA

MORBORUM COMMUNIUM

FORMA POSTERIOR,

SEU

MORBI ASTHENICI.

CAP. I.

DIII. Morborum asthenicorum forma, quaeque asthenia simpliciter, ut ab altera sthenicorum, quae sthenia dici potest, distinguatur, est corporis vivi status, quo plus aut minus omnes actiones infirmantur, saepe perturbantur (CXLIX.), semper fere aliqua manifestius laborat. In quibus exponendis hic ordo, quo a minimo quoque ad maximum, per omnes medios quasi debilitatis gradus, itur, adservabitur.

DIV. Magna hic symptomatum varietas est; quae, quia nihil significat, ad morborum seriem distinguendam neutiquam adhibetur. Eoque quo certiora, si non ad ordinationem speciosiora, quae dicenda sunt, adpareant, a praecipuorum enumeratione principium erit.

DV. Asthenici morbi sunt, macies, inquietudo, amentia, eruptio scabiosa, scarlatina asthenica, diabetes levior, rachitis, haemorrhaeae, qualis, menorrhoea, epistaxis, haemorrhois, sunt, item his contrarius, ut videretur, triplex quoque status, menstruorum cessatio, retentio, suppressio, tum sitis, vomitus, indigestio, diarrhoea, colicanodyne; dein adfectus pueriles, vermes, tabes, dysenteria, & cholera leniores, angina, scorbutus, hysteria lenior, rheumatalgia, tussis asthenica, cystirrhoea, podagra validiorum, asthma, spasma, anasarca, dyspepsodynia, histeria gravior, podagra imbecilliorum, hypochondriasis, hydrops, pertussis, epilepsia, paralysis, trismus, apoplexia, tetanus; febres, ut quartana, tertiana, quotidiana; dysenteria, cholera graviores, synochus, typhus simplex, cynanche gangraenosa, variola confluens, typhus pestilens, pestis. Quorum omnium supremus finis mors.

DVI. Haec morborum asthenicorum series sic intelligenda est, ut ii, qui plerumque leviores sunt, & altiorem in serie locum sibi vindicant, aliquando graviores, est ubi gravissimi evadant; iique, qui plerumque magis saeviunt, ut podagra imbecilliorum ut typhus pestilens, ut pestis ipsa, nonnunquam summa lenitate procedant.

DVII. Adfectus partium, qui hos morbos saepe comitantur, cuiusmodi ulcus, tumor, aucta excretio, sanguinis profluvium, & inflammatio sunt, ita debilitatis quiddam submonstrant, ut idem tamen absque iis possit incidere. Hinc, quia debilitatis, in hac serie, vis funditus spectatur; cum morbis, qui cum iis adfectibus saepe coniunguntur, alii, horum expertes

ut hysteria & spasma; & cum casibus, quos spasmus aut convulsio comitatur, hydrops, eadem paris debilitatis servata ratione, sunt commixta, absque ulla symptomatum insigniorum ratione, & debilitatis magnitudine sola spectata. Nec febrium, quae mentis imbecillitate & capitis adfectibus insigniuntur, numero cholera vehementior, ut quae illarum debilitati parem monstret, exempta. Cuius divisionis ea ratio est, quod non in partium quarumlibet, sed totius corporis adfectu, vera vis morbosa consistit; & non partium sola, sed, una cum ea, totius corporis conditione, mutata, salus molienda.

Macies.

DVIII. Macies asthenia est, in reliquis actionibus obscurior, concoctricis, qua corpus idoneo alimento parum pinguescit, patens imbecillitate.

DIX. Quoniam tam reliquo corpore, quam in ventriculo, & reliquis concoctionis instrumentis, imbecillitas, in illo obscurior, in his ex re manifestior, causa morbum (DVIII.) continet; ideo medendi consilium commune (DV. CCLI.), in partem maxime languentem, nempe concoctionis instrumenta, & vascula perspiratoria, maxime dirigendum. Alentior igitur cibus utendus, labori parcendum, ex hoc madori vel perspirationi fusiori, per quietis corporis plus, idonea gestatione, fricatione & rubefactione, obsistendum.

Inquietudo.

DX. In inquietudine asthenia (DV.) reliquae actiones aliquantum languent, & vigilis membra iactantur.

DXI. Ut hic causa similiter, ac in omni alio perpetuo morbo (V. VI. VII. VIII.), universo corpori communis est; ita motus voluntarii instrumenta cerebrumque potissimum, cum inaequalitate relata (XLIX.), premit; ideoque, tum ad extremum nimius mentis & animi, tum deficiens labor fugiendus, tum utriusque, qui gratus est, stimulus restituendus. Item, nimius ad extremum corporis labor, ubi is nocuit; deficiens, cum is in causa fuit, cavendus, idoneus reponendus; vinove malum pellendum, & caeteri stimuli, pro sua quisque portione, adhibendi.

Eruptio Scabiosa.

DXII. In eruptione scabiosa, decolor cutis arescit, detumescit, varie pustulis deformatur, hebescit animus, corporis actiones languent.

DXIII. Communis corpori debilitas hic in vasculis perspiratoriis praevalet, eoque cum auxiliis, in totum corpus directis, qualis cibus alens & potio valida est, perspirationi suis stimulis consulendum; summum corpus frigida lavandum, ad aëra aditus aperiendus, munda indusia & vestis reliqua gerenda.

Diabetes Lenior.

DXIV. In ea asthenia, quae diabetes lenior dicenda est, urina copiosius iusto fluit, sed supra modum ut in eiusdem nominis graviore malo, non profunditur. Languet, ut in eruptione scabiosa, perspirationis officium.

DXV. Ad hunc effectum, multo, quam hactenus creditus est, frequentiorem, solvendum, corpus cibo, potione valida, idonea exercitatione, neque supra modum nimia, eoque debilitante, neque nimia quiete, eoque stimuli satis non suppeditante, stimulandum, & ante omnia perspiratio sustentanda, urinam, quae nulla sunt, cohibentia, praetermittenda.

Rachitis.

DXVI. Rachitis est asthenia, cuius ad communia signa (DV.) accedunt, capitis, maxime anterius, item genuum & abdominis, insolita moles, costarum complanatio, macies.

DXVII. Rachitis puerilis morbus est, e sordibus, exercitationis defectu, frigore tam sicco, quam humido, & minus alente victu, potissimum pendens.

DXVIII. Ad eandem igitur medendam, commune sthenicum consilium adibendum; noxis morbum excitantibus contraria in auxilium vocanda; summum corpus abluendum; perspiratio; aëris puri & caloris stimulo, cum cura, restituenda; puer dilingentius gestandus, sub divo multum exercendus, cibus e carnea natura dandus, ex plantis negandus, potio valida praebenda.

Menstruorum Cessatio.

DXIX. Menstruorum cessatio non quoque non asthenia est: in qua, praeter menstrua eo vitae tempore, quo accidere debent, non accidentia; alia quoque debilitatis indicia, cuiusmodi corporis exiguitas, imbecillitas, habitus laxitas, deficiens cibi desiderium, cutis pallor, & similia sunt, adparent.

Menstruorum Retentio.

DXX. Menstruorum retentio est is astheniae status; in quo, postquam coeperunt, & aliquamdiu profluxerunt, parcius aut rarius iusto, comitantibus aliis imbecillitatis signis, profluunt.

Menstruorum Suppressio.

DXXI. Menstruorum suppressio est, ubi, quolibet vitae, inter eorum principium & finem naturalem, tempore, ex toto compescuntur.

DXXII. Prius naturalium menstruorum disquirenda causa est, quam cessantium aut quolibet modo deficientium, tractetur.

DXXIII. Menstruorum causa est, vasorum, sanguinem fundentium, certo vitae tempore, nempe circa pubertatem, conformatio, & vis stimulatrix in mulieribus, quam aliis foeminis potentior.

DXXV. Ut omnia, crescente corpore, vasa paulatim; sic genitalia, sic uterina novissime, explicantur. Quorum fines, in uteri parietes desinentes, circa

pubertatem tandem tantopere patefiunt, ut iam serosam sanguinis partem prius, dein, post aliqua moliminis moram, iustum illum, traiiciant. Cui negotio favent alia.

DXXVI. Hoc vitae tempore magna totius corporis mutatio fit. Iam coëundi desiderium novo stimulo totum corpus, & prae reliquis partibus, utriusque sexus genitalia, sequioris totam cum ovariis uteri vaginaeque regionem, commovet. Quo stimulo sedes eius uterus, assidue fere sollicitatus, hoc potentius adficitur, quo plus incitabilitatis, nullo hactenus stimulo tali tentatae subest, & quo novus stimulus ipse exquisitius incitat. Hic inter reliqua instrumenta, musculares vasorum proximorum fibrae, sicut his intertexti nervi, summam incitationem subeunt. Haec, toto corpore crescens, uterinam rursus adauget. Mutuus utriusque sexus, sive per os, sive manibus, sive alibi, contactus, utraque genitalia, uterumque memorabiliter, sed maxime iustus coitus accendit. Complexuum recordatio permanet, caram voluptatis imaginem renovat, & plus minusve excitare uterum perstat.

DXXVII. Novum hunc adfectum (DXXVI.) nulli stimuli, quales admoveri corpori solent, non porro fovent aluntque. Hinc absente, praesente, qui amatur, omni fere tempore, ne somni quidem saepe excepto, stimulo, tam constans, eoque potentior, quod novus integram hic incitabilitatem significat, uteri vasorum iam satis explicatorum, fibras in vehementes contractiones concitat. Pervehitur in uterinam regionem rapidissime sanguis, eoque rapidius usque; quo vasa valide distendendo, & impetu con-

cutiendo, ipse magis easdem fibras stimulans, actionem, qua percitatur, intentat. Haec prima menstruorum origo (DXXIV. ad DXXVII.). Et sic duae conditiones, satis ampla vasorum diameter, & stimulus, in integram incitabilitatem, ob novitatem potentius agens, toto negotio sufficiunt.

DXXVII. Qi status non aliis corporis repugnat, sed quorundam notorum rationis habet stmilitudinem. Sic alia vasa per diametrorum differentiam aliis usibus inserviunt. Perspiratoria vapori, excernentia canalis alimentarii tenuiori humori, renalia crassiori, traiiciendo, destinata sunt; quo minus, esse quoque quae iusti sanguinis traiectui adcommodentur, mirandum videatur.

DXXVIII. Quod aliarum animantium foeminae tantum in orgasmo menstruant, non alias, id fit ob eam causam, quod, eae certis tantum temporibus, stimulo menstruorum potenti patent.

DXXIX. Quantum relato stimulo (XXI.), in menstruis efficiendis, debeatur, hinc porro patet, quod, quo minus amori mulieres deditae sint, eo parcius; quo magis libidini inserviant, eo liberius, intra certos fines, hoc experiuntur profluvium; quod, ante pubertatem, postque menstruandi aetatem, quibus temporibus nondum coepit, aut iam desiit, amandi facultas, idem illud perpetuo deest; quod amoris inopia, quae debilitando, chlorosin & similia mala parit, in primis amenorrhoeam creat; quod denique, quae puellae praecoces, validis viribus, & magnis artubus, citius viris maturescunt, eae citius; quae, invalidae, pusillae, & parvis corporibus, tardius attingunt pubertatem, eae serius, menstruant. Postremo, si vis

si vis amandi diuturnitate simul & magnitudine finitur, citiusque aut serius inchoatus concubitus, maturius pro rata parte aut serius, terminatur, nec huic termino supresse menstrua solent; ea quoque res conclusioni pondus addit, & quantum ab oestro venereo menstrua pendeant, illustriore monumento ponit. Praeter igitur vasorum conformationem (DXXIV.), menstruis accomodam, & stimulum relatum (ibid.), nihil amplius ad illud profluvium inchoandum, constituendum, & continuandum, opus est.

DXXX. Causa modicorum pariter, & largiorum, quae citra valetudinis adversae fines (XXV.) consistunt, menstruorum, eadem est, magnitudine tantum sic differens, ut illorum minor, horum maior subsit.

DXXXI. Utque res supra (DXXV. ad DXXIX.) relatae, quare mulieres, aliarum animantium foeminis magis menstruent, explanant; ita eaedem, supra modum, sexum sequiorem nostrum urgentes, quare plenius hic, quam naturae modo obtemperantior ostendunt.

DXXXII. Stimuli, largiora menstrua citra morbum creantes, sunt cogitationes impudicae, vehementior adfectuum animi vis. Sic lectio, citatio, colloquia, pictura, ad accendendam comparata libidinem, partes celandae retectae, vivas in animo rei desideratae imagines excitantia, quantum valeant, nemini, praeter eunuchos forsan, obscurum esse potest. Eodem cibus alens, & potio merax, eodem condimenta pertinent. Hinc, id quod vulgo dici solet, sine Bacco & Cerere friget Venus. Item exercitatio la-

borve non delassans, sed intra stimulandi finem consistens, quin & abundans simul hinc, & ex ubere cibo, sanguis; postremo concubitus frequens, ardens, aut inconcessa huius imitatio, quanto magis stimulant, tanto largius menstrua, sed citra morbi modum concient.

DXXXIII. De quorum stimulorum effectu idem, quod de sanguinis, quae sub plethorae nomine, sthenicam diathesin facere credita est, abundantia, dictum est, dicendum. Omnium enim stimulorum, nimia menstrua facientium, praecipuus finis est, ut, si nimios eos fusiora menstrua, plus amoris subsequantur, omnis haec ea vis sit, quae aut morbi expers maneat, aut rapidissime in indirectam ruat debilitatem.

DXXXIV. Id ita esse, menstrua, modum excedentia, & morbum facientia, creantes noxae, item auxilia stimulantia, & vasa replentia, quae curatio nuper deprehensa est, malum tollentia; quin & infelix in iisdem semper hactenus asthenica medendi via declarant.

DXXXV. Ut stimulans opus menstrua iusta pariter & modum paulo superantia(DXXIX. ad DXXXV.) facit; ita, constitutis semel iis, conformatio cum stimulo (DXXIV.) relata permanens ad ea sustentanda sufficit. Idem opus per unumquodque menstruorum intervallum renovatur. Stimulus agit, sanguinem ubique, & potissimum illic, ubi potentissimus est, & maxime requiritur, in uterina regione percitat. Percitatus sanguis, & rapidiore impetu ruens, sui caussam, stimulum, adauget. Cumque mutuus hic stimulus mulieres toto intervallo commovere, in copia

amoris, non desinat; uterina vasa paulatim explicata, tandem intra viginti dies aut mensem lunarem, ad extremos fines explicantur. Unum aut alterum tertiumve diem humor, prius serosus paulisper, dein sanguineus, posterius rursus paulisper serosus, satis postquam promanavit, vasa demum clauduntur.

DXXXVI. Toto huius operis (DXXXVI.) tempore, quo plus incitabilitatis subest, ac proinde, uniuscuiusque moliminis initio, valentius agit stimulus, & plus pro rata parte incitationis creat. Qui minus dein usque ad finem valet, quo plus incitabilitatis usque consumitur; licet donec haec, quatenus hunc stimulum respicit, prorsus exhauriatur, incitationis summae semper aliquid, sed minus usque adiiciat (XXII. append.). Eadem cibi, eadem potionis & omnium potestatum incitantium, operis ratio.

DXXXVII. Quod de stimulo, menstruorum potente dictum est, ut omnibus aliorum stimulorum convenit effectibus (DXXXVII.), ita ad universum menstruorum, a principio ad finem, pertinet. Sic eorum initiis validissima stimuli vis propter ipsius novitatem & incitabilitatis, eum spectantis, integritatem, longe maxima est. Quo tempore exquisitus prae omnibus aliis amor sanus est, & a stimuli, eum concitantis effectu, menstrua, si corpus valet, cum semel consummata sunt, iustissime peraguntur, id est, neque deficiendo, neque superando, ad morbi modum deflectunt.

DXXXVIII. Post vero principia, iamque menstruorum officina satis constituta, propterea quod in hac, ut omnibus aliis actionibus, incitabilitas, aetate progrediente, paulatim diminuitur, vis stimulatrix pau-

latim minus, & tandem nihil omnino valet; igitur paulatim quoque muliebris amandi, & pro rata parte menstruandi, facultas imminuitur, & prorsus demum extinguitur.

DXXXIX. Dum utraque facultas relata (DXXIV.) sic a principio ad finem decrescit; ita saepe in gestatione, lactatione, menstruorum retentione, iustave suppressione intermittitur. Quae intermissio duabus in prioribus naturalis est, & secundae valetudini convenit, in retentione vel suppressione morbi modum adquirit.

DXL. Quoniam stimulus, cum vasorum conformatione relata, menstruorum causa est, & haec ab illo pendet, ita stimuli rursus, eoque conformationis defectus, tam cessationem, quam retentionem, aut iustam demum suppressionem creat.

DXLI. An, ut perspirationis, intusve, sicut in faucibus, in canali intestinali, excretionis; ita menstruorum quoque, defectus, quandoque ad diathesin sthenicam acceptus referendus sit, hoc incertum est, quod exiguae vasculorum in cute, & intestinis diametri, dum propiores, ob causam (LVII. ad LXII. CXII. CXIII.) relatam, adhuiusmodi contractionem, sunt; ita tanta incitationis, tanta diatheseos phlogisticae vis, quanta vasis, iustum sanguinem traiicientibus, occludendis sufficiat, haud facilis animo conceptu est. Quae dubitatio hoc augetur, quod tum in cessatione menstruorum, tum in omnibus retentionis quasi gradibus, ad iustam usque suppressionem, cum nullum locale vitium subest, debilitantis causae manifesta sunt indicia.

DXLII. Ad quam rem, quae hoc maximi momen-

ti est, quod recta curationis interest, & non explanata in principiis hiatum relinqueret, explorandam; ut viri quidam, ex amoris nimii, in muliere dilectissima, stimulo, ita per diathesin sthenicam exarserunt, ut in amoris pro tempore impotentiam, contractis vasis seminalibus, inciderint, & sanguinis missione curati sint; ita, praeterquam quod hoc rarum est, uterina patula vasa sic contrahi posse, ut suum humorem non traiiciant, non est verisimile. Quin & res verae reclamant. Leniri pro tempore cessantia vel deficientia menstrua, debilitatrice curatione possunt; non etiam reduci, contra in maius retardari solent. Sed esto menstruorum, primo quoque tempore deficientium, sanguinis abundantia & nimius stimulus causa; postquam haec, primo profluvio, & reliqua debilitatrice curatione, soluta est; an eadem deinde, morbi origo esse potest, quae, decem peripneumonias solvere valenti, purgatrici & debilitatrici curationi, obstinate resistit? Cumque quivis pariter stimulus, ac sanguinis abundantia, ad indirectam ire debilitatem nimio impetu possit; quid obstat, quominus, inani concubitu, deficientibus primum menstruis, idem etiam accidat? & in utroque casu atonia, manifestam debilitatem prae se agens, non nimius tonus, peccet? Ut peripneumonia, ubi sanguinis abundantia & diathesis sthenica longe maxima est, ex indirecta debilitate in hydrothoracem transit, cur non similis hic quoque causa similem trahat, effectum?

DXLIII. Deficientium igitur sive ex parte sive ex toto menstruorum causa, est languens toto corpore, maxime in utero, incitatio, ex amoris stimuli

(DXXIV.), & quotquot eum adiuvant, defectu (DXXVI. DXXXVII.) sanguinisque penuria, pendens.

DXLIV. Quod ita se habere (DXLIV.); noxae in menstruorum cessatione relatae (ib.), item in omni menstruorum defectu debilitatrices aliae, morbum quemque facientes; stimulans & corpus replens curatio tollens, antiphlogistica nocens, declarant,

DXLV. Menstruorum cessationi auxilia medentia sunt, cibus lautior, potio generosa, gestatio & exercitatio, viribus accomodata, crurum & femorum balneum, concubitus.

DXLVI. Eorundem suppressioni medentur eadem; retentioni eadem quoque, sed minus valida, respondent.

DXLVII. Ubi morbi praeter solitum vis, sive magnitudine, sive diuturnitate est, ad diffusibilium stimulorum decurrendum opus est.

Menorrhaea.

DXLVIII. Menorrhaea est, sanguinis ex utero, comitantibus omnibus astheniae notis, effusio, seu menstruorum copia, diuturnitas, modum excedens,

DXLIX. Hunc morbum non sanguinis abundantia, non corporis vigor, sed illius penuria, hic confectus faciunt. Noxae igitur, hoc malum creantes, sunt, cibus parum alens (CXXVIII.), idoneus (ibid.) parcior, aquosa potio (CXXX.), vel meracis id, quod eventu debilitatem creet, calor nimius, aut frigus (CXXI.), nullo stimulo debilitare prohibitum (CXXII.), libido.

DL. Eiusdem (DLX.) remedia sunt, noxis contraria, cibus lautus, uber; potio merax; calor intra stimulatricem virtutem consistens; frigus caloris stimulo & aliis citra rectam debilitatem cohibitum, concubitus iustus,

DLI. Noxarum & auxiliorum, de quibus (DLX. DLI.) relatum est, effectus, ille morbi creandi, hic pellendi, & asthenicorum infelicitas, hanc rem confirmant.

Epistaxis.

DLII. Epistaxis est asthenia, quam, praeter huius communia signa, sanguinis e naribus profluvium sive stillicidium, sine vi a tergo, discriminat, omni aetati, sed prae caeteris iuventuti rapidius crescenti, & infirmiori senectuti, molesta.

Haemorrhois.

DLIII, Haemorrhoidis, aliis astheniae signis addita, nota est, sanguinis ex ano vel circa hunc, profluvium.

DLIV. De utriusque huius morbi noxis & auxiliis idem fere, quod de menorrhaea dictum est, dicendum.

DLV. Ex noxis haemorrhaeas creantibus, auxiliis tollentibus, & asthenicae curationis infelicitate, earum causa manifesta est, nempe; totius corporis, ex aliorum stimulorum, maximeque sanguinis, defectu, debilitas. Quae debilitas, dum universa vasa relaxat, tonumque eorum debilitat, ita laborantia

prae caeteris sic adficit. Cuius sei causa est, quod illic, ubi gravius symptoma premit, causa potissimum, ex inaequalitate toties (XLIX. L. LI.) relata, dominatur. Nec mirandum est, si per patula uteri, & sanguinem fundere solita, vasa, per haemorrhoidalia pendula, & tenera narium, offensis facile patentia, nec non idoneo parum fulcro sustentata, potius quam aliis, sanguis profluat, Hic plethora, quae nulla est, nulla quoque opus est (CCXXXII.).

De siti, vomitu, indigestione, et affinibus alimentarii canalis morbis.

DLVI. Frequentissimus adfectus est, a siti incipiens, in vomitum desinens. Is saepe non longius his notis procedit, saepius gravissimos adfectus, ut nunc dyspepsiam, nunc colicam, nunc podagram, nunc iustas febres, & multa alia mala asthenica, prae se, veniens, agit. Longe plerumque ex imbecillitate est, modo lactationem iusto longiorem, modo huic & gestationi adsuetarum apertam alvum, comitans.

DLVII. Sitis duplex origo (CLXXXIV. CLXXXV.), sthenica & asthenica. Quarum illa, e salis, cibi uberioris, caloris, laboris, & consimilibus stimulis, nascitur; nunquam in vomitum, nisi quod rarius, & nunquam statu sthenico manente, accidit, abiens; aqua frigida ut & omnibus auxiliis debilitantibus tollenda, sed huc nihil attinet.

DLVIII. Asthenica, de qua sermo est, ex pura semper debilitate, saepe indirecta, saepius recta (CLXXXV.), pendet; semper ad nauseam, qua cre-

scente, ad vomitum, cumque hic paulo gravior est, ad acutissimum illum, quem ventriculi spasmus creat, dolorem, & reliquos, de quibus (DLXVIII.), relatum est, adfectus, sponte, recta, plerumque rapide, tendit.

DLIX. Noxae debilitatrices omnes sunt. Eventu debilitant, crapula, ebrietas, defatigatio, calor ad extremum nimius, graves animi adfectus, cibus, nimia cogitatio, an sanguinis, cum ea iam in penuriam (CCXXI. CCXXXII.), sthenica in asthenicam diathesin, transit, abundantia? Recta debilitando idem malum creant, frigus nullo stimulo correctum, frigida, cibi ex plantis parati, sanguinis, humorum, penuria (CCXXXII.), aëris puri defectus, anxietas, animi dolor, metus, eaque demum corporis imbecillitas, quae illis omnibus exoritur. Saepe ex mixta origine, mixto utroque noxarum genere, malum est. Nam, ut indirecta debilitas rectam, sic haec illam, in hoc pariter & omnibus casibus, excipiens, adauget.

DLIX. Huius causae particeps non est, communium humorum corruptio, sive acredo, sive putredo nominatur; quia, manente vita, & agentibus in suos humores vasis, tam longe lateque tale humorum vitium, utpote quod sola humorum sub calore quies efficiat, grassari; &, nisi in extremis vasculis, & excernentibus meatibus, talem quietem per atoniam creantibus, item in canali alimentario, incidere, non potest.

DLX. Causa sitis (DLXVIII. ad DLXXII.) huius est omnis astheniae communis, sed in faucibus &

ventriculo, propter salivarium & aliorum excernentium meatuum atoniam, potissimum vigens.

DLXI. Auxilia sunt astheniae quoque communia, debilitatis in causa magnitudini accomodanda. In leviore, siti, spiritus vinosus Gallicus, similisve potio valida uno aut altero cyatho tenus, epota, vel, quae regula melior est, usque, donec adfectus extinguatur, administrata, sufficit. Qui aut merax esse, vel cum calidae aquae perexiguo dilui, debet. Hic a cibo carneae naturae sequendus, dein aliis modice, & secundae valetudini convenienter, stimulantibus sustentandus, paulatimque ad consuctos medios & permanentes stimulos deveniendum.

DLXII. Cum sitis, ab his non restincta, protinus ad vomitum pergit; & huic mox crucians dolor supervenit, praeterque dolorem, ad intestina adfectus descendens alvum nunc fundit, nunc comprimit, alias solum fundit, alias solum comprimit; qui adfectus, ubi sine alvi duritie est.

Diarrhoea.

DLXIII. Ubi cum hac est, aut in ea sola consistit.

Colicanodyne.

DLXIV. Nominatur: Tunc ad potionis relatae largiorem usum decurrendum; quo minus ad spem procedente, ad opium & alios stimulos, etiam diffusibiliores, nulla mora pervolandum; primoque parto lenimine, iuscula lauta, pura, adipis expertia, subinde infundenda, his totus canalis, cum cura perfun-

dendus: Dein stimulantia reliqua adiicienda. Quorum in usu rectus inter recta & eventu debilantia tenor, mediusque ad unguem, servandus, semperque, ab sublatum funditus morbum, agendum.

DLXV. Eo necessario magis hoc in curatione praeceptum urgendum; quod, neglecto eo, vel vulgari purgatrice & debilitatrice curatione quoties fiditur, saepe perpetuus & iustus morbus in locale vitium degenerat. Inter

Affines Canalis Alimentarii morbos.

DLXVI. Praeter supra (DLVI. ad DLXVI.) relatos; non desunt alii, qui, cum iis similitudine & curationis natura comparati, hunc prorsus in serie locum sibi vindicant.

Pueriles Adfectus.

DLXVII. Pueriles adfectus hi sunt, salivatio repentina brevis; similis lactis sine molimine vomitus; viridis alvi deiectio; eiusdem alias compressio; utraque fere cum torminibus; quorum fere indicium est, genuum subinde versus ventriculum cum acerrimo vagitu subtractio. Quibus paulo graviora mala sunt.

Vermes.

DLXVIII. Qui, columnae nasi turgore, crassitie, carpendi nares more, vultu decolore, huius & reliquae cutis pallore, abdominis tumore, postremo vermium per alvum deiectione, dignoscuntur; item

Tabes.

DLXIX. Cuius clariora signa sunt ubique macies, abdominis insolita moles, vigilia fere perpetua, vagitus, flebilis, debilis, assiduus, saepe raucus.

DLXXI. Hos omnes excitantes noxae cum asthenica quavis communes sunt; scilicet, quaecunque ad corpus universum, maximeque canalem alimentarium, debilitandum pertinent; Cuiusmodi hac aetate sunt, lac parum alens, acescens, inflans, nullus cibus, vel aquosus cum pane mixtus, frigus, humor, hic illius augens noxam, supra & infra purgandi consuetudo, gestationis iusto minus; alieno tempore somnus, alieno cibus, & omnis corporis curatio, sordes, impurus aër adpetituum naturae neglectus.

DLXXI. Auxilia sunt his omnia contraria; lac alens, excitans; cibi ter in die quaterve, maxime ex lacte calido, iusculis carneis puris, haud imbecillis, mixto cum utraque materia polline vel ex hoc confecto pane; citra sudorem nimiumve ruborem, & humoris expers, calor; omnis omissa purgatio; gestatio plurima; sua somni, cibi, omnisque tenellorum corporum cultus & curationis, rite servata tempora; munditiesꞏ; lavatio, frigidis temporibus non nimis, frigida; purus aër, sub divo quam saepisssime, in omni praeter madidam tempestate; ita prudens adpetituum observatio, ut ne loci forte prurientis leniter scalpendi cura negligatur.

DLXXII. Haec praecepta (DLXXI.) lenioribus casibus (DLXVI.) conveniunt. Adversus (DLXVIII.) graviores ut eadem minime negligenda, sic alia sub-

ficienda, sunt. Ubi viridis materiae deiectiones, fusa supra modum alvus, huius durities, tormina vexant; ad vinum merax, potionem spirituosam, plus minusve, prout occasio postulet, aut, si forte opus erit, non omnino, dilutam, decurrendum; plus iusculi relati, atque etiam lautioris, dandum.

DLXXIII. Quae si in his (DLXVII.) malis parum ad sententiam, quod raro evenit, procedent; in iisdem, certiusque in vermibus, certius etiam in tabe, cum relatis auxiliis stimuli diffusibiliores, ut opiata, moschus, erunt alternandi. Utrumque auxiliorum genus symptomatum vehementiae sic adcommodandum est, ut ne dando prius desistatur, quam totus morbi tumultus pellatur & salus reponatur; quod opinione, propter contrarium hactenus curationis genus adhibitum, concepta, longe facilius factu esse, cum magno miserorum hominum solatio, reperietur.

DLXXIV. Ex supra dictis, hos adfectus pueriles ex eadem prorsus causa fluere, eodem prorsus medendi consilio depelli, ac quamlibet aliam, sive iam relatam, sive mox exponendam, astheniam, adparebit. Eorundem morborum infelix hactenus eventus non causae, sed curationis usu receptae pravitati, tribuenda. Quin & quamvis localia vitia; ut, in mesenterii obstructionem, tabes; in intestinorum inflammationem, tumorem, complicationem, omnis aetatis colica; in partis ibidem gangraenam, tam colica, quam diu neglecta diarrhoea, degenerant; ea nunquam fere infelicitas in recta primi mali, & matura satis, curatione, incidit; Quae contra, perversa hac, vel idoneae neglectu, longe plerumque nascitur. Ad

eosdem canalis alimentarii morbos adfines (DLXI.) porro pertinent.

Dysenteria et cholera.

DLXXV. De quibus omnia, quae de adfinibus illis, fere dicendum; nisi quod, si qua propria de iis observatione forte opus erit, ea, postquam ad graviores easdem perventum fuerit, illic comprehendetur. Iis omnibus consimilis naturae est, sed ita paulo deterioris, ut proximum locum infra eos mereatur angina, ab eodem non abhorrens canali. Cuius signa & medendi rationem supra (CCXII.) repete.

Scorbutus.

DLXXVI. Scorbutus asthenia manifesta est: cuius praecipua signa sunt, nullum cibi desiderium, eiusdem fastidium, firmorum vivorum, pro simplicibus habitorum, laxitas; dimanans aliunde, maxime e gingivis, sanguis; aliena a labore voluntas, tristitia, denique omnium actionum languor.

DLXXVII. Noxae morbum creantes communes asthenicae sunt, hac forma prodeuntes. Frigus hic sed humidum, per maria septentrionalia, & similis temperiei australia, propriam morbi faciem fere producit. Quicum omnia alia debilitantia conferunt operam. Cujusmodi, sunt, libertate, cognatis, propinquis, amicis amissis, dolor; vitae praesentis horror; relictae desiderium, disciplinae durae metus; tranquillitas, ubi nihil agendum, recta; tempestas, ubi supra vires laborandum, eventu, debilitans, caro recens,

sola alens, & valida, nisi nuper, negata; salsa, corrupta, ac ne recenti quidem ex plantarum genere, qualequale est, alimento correcta, data; potio aquosa, vel imbecilla; ex pugnae navalis expectatione terror.

DLXXVIII. Haec omnia (DLXXIII.), quam non, ab una aut altera noxa; scorbutus, & angustiore, ut hactenus visum est, origine, pendeat, sed altius in multiplice debilitandi potentia situm, & veram astheniam esse, declarant.

DLXXIX. Quam rem (LXXIV.) tam vera, quam falsa, morbi curatio, confirmat. Quamvis enim omnes fere solitae noxee, ad scorbutum creandum, concurrant; si tamen, quam facile, remotis illis, restituta terra, recens caro, sive cum oleribus, sive sine his, vinum, gestatio, exercitatio, solitum denique vivendi genus, morbum penitus fuget, respicitur; eum non solum astheniam, sed minime gravem, esse, nulla dubitatio dabitur. Eius per olera, radices, brasicam acescentem, & similia, curatio nuper iactata, quae, sine modo relatis auxiliis, debilitando malum exasperarent, e pervulgato illo errore tracta est, quo res verissimae, apertissimae, non cernuntur, falsissimae, vel angustissime verae, pro iis apprehenduntur.

Hysteria levior.

DLXXX. Hysteria levior est astheniae forma, saepe mulieribus, rarissime viris accidens; ubi venter murmurat, ubi quasi globus intus volvi, ad guttur adscendere, ibique strangulationem, minitari, sentitur, & urina limpida redditur.

DLXXXI. Conspicuum hic symptoma spasmus est, non loco fixus, sed cursum relatum (LXXVIII.) peragens. Per accessiones adgreditur, magna plerumque temporis intervalla relinquens, saepe, nisi semel aut iterum, nunquam repetens.

DLXXXII. Accessiones opii dosibus exiguis usque, intra brevia temporis spatia, redintegrandis, cito tolluntur. Intervalla, victu pleniore & administratione modice & naturaliter stimulatrice, a morbi periculo munienda sunt.

Rheumatalgia.

DLXXXIII. Rheumatalgia est asthenia, minus rheumatismum, sua sponte progredientem, quam nimiam ad eum medendum sanguinis & aliorum humorum profusionem, & debilitantiorem iusto, curationem, subsequens; diathesi sthenica & inflammatione, huius parte in diathesin & inflammationem asthenicas, quarum haec illius quoque pars est, commutatis. Pro colore pallor cutem obsidet. Cibus solito minus adpetitur, motus involuntarii minuuntur, ubique debilitas, ubique torpor. Hactenus morbus longus intelligitur. Artus, ut in rheumatismo dolent, inflammantur. Ut haec longe frequentissima morbi causa est, ita is quandoque sine sthenico principio, nimiaque huius solutione, contra debilitate pura, nascitur.

DLXXXIV. Causa morbi est solita cuiusvis astheniae, in fibris musculorum, per totum summi corporis orbem infra cutem dispositorum, motricibus, potissimum vigens.

DLXXXV.

DLXXXV. Pessimae noxarum sunt, sanguinis penuria, frigus, maxime humidum, impurus aër, ita tamen, ut quotquot reliquarum debilitando agentium, forte admovetur, pro ea, qua quaeque incumbit, vi, suam ad malificium operam conferat. E quibus nimia quies pariter, & deficiens, prae caeteris nocentior est.

DLXXXVI. Ut omnia ad salutem stimulantia conferunt; ita potentissime cibus alentior, fricatio, gestatio, exercitatio, vinum modice sumptum, frequentior, quam vehementior, quamque saepissime sub divo, morbo succurrunt. Si rheumatalgia e medicorum opprobriorum numero esse in confesso est, magis quam hactenus intellectum est, opprobrium est; utpote qui, in asthenico morbo idem prorsus curationis genus ac in maxime sthenico, vel etiam ad summam debilitantius omni tempore usurpaverint.

Tussis Asthenica.

DLXXXVII. Tussis asthenica asthenia est; cumque huius perpetuis signis, in frequentibus, quae tussis concitat, sputis, posita, omnem aetatem, quam vel recta vel indirecta debilitas presserit, eoque senectutem, quam necessario debilitas indirecta premit, infestans.

DLXXXVIII. Eandem, in indirecta debilitate positam, creat, omnium stimulorum nimia, sive breviore tempore, sive magno vitae spatio, vehementia, illa per magnitudinem, haec longinquitate, rediens (XXIX. XXX.) eodem. Quantum recta debilitas causa continet, omnium stimulorum defectus,

incitabilitatem cumulandam relinquens, hanc astheniae formam (XCII.), naturae, cuius vita coactus status est, sponte (CCCXXVII.) insidere sinit.

DLXXXIX. Tussis igitur duplex origo est (CCXXXIII. ad cap. VII.). Quarum eam, quae in indirecta debilitate sita est, stimulus, qui nocuit, paulatim & caute, ad idoneum, & naturalem deductus (XXXIII. XXXIV.), solvit. Ubi recta debilitas in causa fuit, idem auctus usque, donec incitatio, quae secundam prorsus valetudinem causa continet, reponatur (XXX. XLIII.) erit (CXXXIV ad cap. VII.) saluti.

DXC. Quo vero rectae & indirectae debilitatis illustrior & patentior origo sit; si illius ultra legem remedia tenduntur, ecce iterum tussim; si huius, illico similis erit exitus (ibid.).

DXCI. Frequens vehemensque cum sputorum copia, tussis pro loci in pulmonibus vitiati certo semper habita est indicio. Id vitium sthenicae naturae particeps esse, & nunc phthisipneumoniam, nunc peripneumoniam notham, subesse, confirmare indicabatur. Illic ulcus, vel, ut aiunt, & quod eodem redit, tubercula, causa mali, hic inflammatio vel in musculis intercostalibus, vel diversa ab ea, quae, in vera peripeumonia, mali, ut opinantur, caput efficit, causa morbum continere, iudicabatur. Nec quicquam praeterea, nisi mucus, an pus exspueretur, quaerebatur. Ad hoc dignoscendum praemia proponebantur.

DXCII. Verum, praeterquam quod nulla phthisipneumonia, nulla peripneumonia, ut aiunt, notha (CCXXXV.), antisthenicis auxiliis soluta est, &

illi paucis adhuc periculis fatis profuit, hanc, innumeris exemplis, & omnibus ubi tentata est, penitus sustulit, curatio sthenica seu stimulatrix; adeo nihil sputorum, sive copia, sive species, valet, ut in febribus quibusdam, in aliis debilitatis morbis, omnis vitii localis prorsus expertibus, denique in hac ipsa, de qua sermo est, tussi, saepenumero violentius tussiatur, plusque omnis formae, omnis speciei, quam in confirmata, & ad mortem in horas ruente, phthisipneumonia, fieri solet, sputorum reiiciatur. Qui tamen tumultus, sic hactenus formidabilis, paucis horis sisti, paucis diebus penitus solvi, potuit.

DXCIII. Et quis, plurimos esse, qui totam longamque vitam supra modum tussiunt, & pro ratione spuunt, salvis tamen pulmonibus & instrumentalis omnis labis expertibus, ignorat? Quoties ipsa phthisipneumonia, peracto suo cursu, & in mortem denique terminato, pulmonum totam fabricam pariter; ac undeunde finita vita, sinceram, cultro explorantibus exhibuit.

DXCIV. Tussiendi causa hactenus ignorata est. Ut sthenica (CCXXXIII.) tussis, quae huc nihil attinet, ideo praeteratur; asthenicam continet, eadem, quae quamlibet astheniam, causa, in sputorum fonte, scilicet, arteriolis exhalatricibus & mucosis, quarum reiectus, & stagnationis mora spissatus, humor, exsputatam materiam conficit, vehementior.

DXCV. In hac tussi pariter ac sthenica (CCXXXIII.) serosus & mucosus humor in bronchia potissimum confluit. Quae eum tantisper perferunt, donec onere distenta ferre amplius nequeant. Molestus stimulus incitabilitatem in loco laborante, eoque per uni-

versam suam sedem (CCXXXV.), commovet, incitationem concitat. Tussis exoritur, & suam causam, collectos humores (CCXXXVI.) reiicit.

DXCVI. Hic morbus semper stimulantibus prius, dein etiam vasa replentibus, auxiliis (CCXXXVI.) est curandus. Si indirecta debilitas nocuit, stimulandum tamen, sed paulo minus ea stimuli vi, quae morbum fecit, primum; dein minus etiam, mutataque subinde stimuli forma, minus adhuc; donec ad gratos naturae stimulos, secundissimae valetudini conveniente, descendatur (CIII.). Sic ebrietas, quae extremum suum stadium non absolvit, sic omnis intemperantiae forma, curanda est. Si recta debilitas obfuit, haud paulo facilior erit curatio. Scilicet, magis magisque, donec ad eandem incitationis metam, ad quam in indirecta debilitate, descensum est, adscendatur. Hac ratione phthisipneumoniae principium, item medius eius cursus, hac peripneumonia notha, quin & omnes iuniorum imbecillitas, &

Pertussis.

DXCII. Adgredienda sunt. Pertussim contagiosa materia comitatur, magnitudine variat, sed ita tamen, ut sthenica eam curatio, morbi magnitudini aptata, certo tollat. Fabula coeli, vel loci, mutatio, neci vomitus est.

Cystirrhaea.

DXCIII. Cysthirrhaea is astheniae modus est, in quo ad astheniae communia, & tussis asthenicae (LXXXV.)

propria, mucus, nullo intus dolore, nec adfectus interni indicio praeeunte, urinam turbans, accidit.

DXCIV. Quantum hic perpetuus morbus est, ut atoniae respondens laxitas pariter, ac in aliis auctarum excretionum casibus tollatur, praeque caeteris, secundae valetudini stimuli, adcuratius paulo administrentur, oportet.

Podagra Validiorum.

DXCV. Podagra validiorum astheniae facies est; ubi post luxuriam & desidiam, quae iam inveterarunt, iamque eventu debilitant, maxime, postquam his noxis recta debilitantes recens superadditae sunt, dyspepsia vel diarrhoea, vel utraque potius coniuncta, cum perspirationis cohibitae signis manifestis, praecedit; dein inferiores artus prius languent, mox articuli minores, fere semper alteruter pes, inflammatione, si non ei nova arte resistitur, gravissima, dolentissima, & si cum futuro morbo confertur, brevissima corripitur.

DXCVI. Hic morbus dyspepsia luxuriosorum, id est, ab indirecta debilitate pendens, adpellari, dyspepsia, pro eodem recta debilitatorum morbo, utpote cui omnia podagra praeter inflammationem incidant, haberi, potest. Adeo enim in morbis nomina nihil valent; ut non solum hi, de quibus modo verba facta, sed & asthma, hysteria, colica, & plerique morborum, ex insigniore canalis alimentarii tumultui, titulos sortitorum, eadem prorsus medendi via, pariter prohibeantur & solvantur. Quae quidem causa est, quod illius canalis morbis podagra mitior adnumerata est.

DXCVII. A parentibus proli tradita labes, eoque hereditariae vocabulo celebrata, fabula, vel huius doctrinae fundamentum (X. ad cap. III.) nihil. Divitum filii, qui rei paternae haereditatem, podagram simul, excipiunt. Exclusi illa, hac quoque, nisi ipsi forte mereantur, excluduntur. Quin &, si duo tantum morbi (LXVI. ad cap. VII.) strictiore sensu, sunt, vel omnes haereditarii, vel nulli, sint necesse est. Illud supervacuas noxas (LXVII), quas omnia posse constat (ibid.), proponit; utque igitur absurdum est, ita verum esse hoc fatendum. Stamina, vel firmorum simplicium moles, in prima nostri conformatione, sic dantur (LXII.), ut alios crassities, tenuitas alios, insigniat. Quae staminum varietas, si potestates incitantes, a quibus omnia vitae (XXVI.) pendent, rite dirigantur, suam, quaeque, valetudinem, suae naturae congruam, satisque commodam, recipit, si, directis, incitatio, stimulis, unicuique conveniens, aptetur. Licet Petri patrem adflixerit podagra, non adficiatur quoque Petrus necesse est, propterea quod is, idoneo vitae genere, id test, aptata staminibus incitatione, paternum effugere malum potest didicisse. Postremo, si podagra idem morbus ac dyspepsia est (DCVI.); ab iisdem noxis oritur, iisdem auxiliis tollitur, solumque, quo discrepare videri potest, symptoma, scilicet, inflammatio, leviuscula tantum morbi pars est (XLVIII. ad cap. V.), ab eadem origine pendens, iisdem auxiliis cessura; quid de utravis, & non de utraque, distinctiones referunt? Nihil praeterea per eas proponitur, quam certam staminum texturam certis morborum, quae nullius momenti sunt, formis, ita favere, ut,

aptata staminibus incitatione, etiam eae prohiberi aut tolli possint?

DXCVIII. Noxae, podagram creantes, sunt, primum eventu debilitantes, non subito, nec ante vitae plerumque meridiem, scilicet xxxv. aetatis annum, efficaces. Cibus lautior, nimia quies, plurimum; potio minus, valet. Huc omnia, quotquot ad vitam deterendam, incitabilitatem consumendam, pertinent, operam conferunt. Sed prima accessio prius xvi incidit, quam recta debilitantes noxae indirectis accesserint. Quae, facto morbo, ad eum reducendum, indirectis multo potentiores, sunt. Imprimis nocent, inedia, cibi ex plantis parati; eoque magis quo imbecillior, e qua constat, materia est. Farinaria, quae minime tuta sunt, minus radicibus, hac minus oleribus, obsunt, pessimi fructus sunt. Omnis in potione noxa imbecillitas & aciditatis rationem sequitur. Frigida potui ad sitim, vigente diathesi & accessione propinquante, sedandam data, protinus nauseam, vomitum, alias ventriculi, caeterique canalis, turbas, concitat, & accessionem iustam maturat. Purae frigidae noxam mixtum acidum auget. E potionibus validis, ex hordeo, quae fermentatione parantur, nempe variae cerevisiae, vina alba praeter maderiense; inter rubra aquitanum, destillatae, dilutae mixto acido, potiones, omnia memorabilius obsunt. Utque quies primam accessionem, ita fatigatio, maxime ambulandi, futuras omnes accelerat. Ita nocet omni tempore sanguinis penuria, ut, posito quamvis in plethora morbo, nemini detrahendus ille visus sit. Supra purgatio mala, infra peior; peior etiam utraque arte mota. Consimile malum omnis illa humo-

num iactura sic trahit, ut, arte quaeque, quam sponte, sit nocentior.

DXCIX. Una excipienda est, scilicet, genitalis humoris profusio; quae, licet, naturae sponte, non arte fiat, adeo podagrici sunt eius lusui dediti adeoque viribus alios superant, ut in ipso accessionis dirae tumultu ei non parcant. Is in praesentia conatus non sentitur, sed provecta aetate, renovato saepius morbo, cum magno malo demum persentitur. Ardor, eventu debilitando, damni aliquod, plus recta frigoris debilitas, infert. Inimicus aër impurus & ruptus cogitandi tenor, inimicior cogitandi contentio. Deficiens adfectuum stimulus noxae maiori est. Magna moles, saepe mediocrem hanc podagram in maximam, caput obsidentem, vitae insidentem, mortemque inferentem, vertens.

DC. Somnus longus malus, rectam debilitatem, dilatis vigiliae stimulis, creans; longe nocentior brevis, e prioris diei stimulis superstitem fatigationem & indirectam debilitatem, relinquens. Saepe, postquam satis somno corporis superiora recreata sunt, expertus iam inferiores artus languere, & somni plus requirere, persentiens, cubile repetere, & suam somni partem parum refectis membris impertire, cogitur. Si brevi somno torpentem frigus excipit, quanta luxuria est omnia, quae frigori patuerunt, id est, totum summum corpus item femora, sed ante omnia crura pedesque, inflammationis, accessione praesente, sedem, alias debilitatis summae participem locum, vestis stragulae nondum refrigentis, calore refovere, somnique, qui deest, necessarium stimulum complere.

DCI. Ad intervalla producenda, & accessionem prohibendam, omnia noxis contraria sunt auxilio. Haec sunt, cibus lautior, uberior, sed intra stimulatricem potentiam subsistens, eoque carneus, reiecta e plantarum genere petita materia, vel parcissime permissa, potio valida, non refrigerata; ubi nullum morbi periculum prope est, quo tempore frigida aqua ei, qui bene comedit, tuta est, non acido mixta, non acescens, non, inter potandum turbidius fermentescens; gestatio: citra sudorem magisque fatigationem, exercitatio; sanguinis, cui cibo & motu modo relatis quantum fieri potest, consulitur, abundantia, nulla humorum iactura; rarus, si in talibus id fieri potest personis, concubitus; temperies mediocris, inter directam pariter, & eventu debilitatem, perstans, neo in utramvis partem inclinans; aër purus, ergo munditiae, ergo sub divo consuetudo; cogitandi tenor, tanto melior, quanto felicior; sic excitatus animus, ut nec immaniter exardescat, nec inaniter stupescat, & quam maxime tranquillus sit; mediocris somnus, potius ad longiorem vergens, eoque magis, quo diuturnior morbus, longaevus magis laborans, sit:. Denique somnus eo usque perstet, donec quam maxime vegeta vigilia sit (CCXXVII. ad cap. VIII.).

DCII. Ex supra dictis (DXCV. ad DCII.) podagram validiorum non ipsam quoque validam, seu sthenicam esse, nec a corporis vigore, plethoraque, quod vulgo hactenus creditum, pendere; sed manifestam asthenicam, reliquorum ad hanc pertinentium casuum instar, manifesta fide deprehendi; & non antisthenica, ut hactenus placuit, sed sthenica, medendi ratione, bonis omnibus tractandam esse constat.

DCIII. Quod hactenus medicos ut podagrae causa decepit, erat, in plerisque podagricis ex vitae genere firmorum simplicium mole, corporisque saepe robore, vigoris & sanguinis abundantiae species. Qui, boni homines, numquam vigorem & sanguinis abundantiam, insitam sua sponte animalibus proprietatem non esse, sed ex alienis rebus, in dies & horas, pendere (X. XI. XII. XIII.), reputarunt. Si quis igitur, cui, magna firmorum simplicium moles forte contigit, cui victus idoneus abunde non defuit, quique sic, ad xxxv vel xl aetatis annum sese habuit, repente omni victu per decem dies privetur; & pusio bibedalis, macer, gracilis, opipere epuletur; an illum in inopia plethoricum tamen & vegetum futurum; hunc insolita copia fartum, qui inanis ante forte fuit, inanem permansurum, tibi probabile erit? An, doctrinae fundamentum, quo nihil ipsos esse nos, & ab alienis potestatibus prorsus regi, confirmatum, est obliviscendum? An circa quadragesimum, annum, vel etiam postea podagricus, qui xx annos supra modum stimulos omnes subiit, aut eo, qui parcius vixit, aut ipso se xx ante annis, plenior & vegetior habendus? Quae, quaeso erat, podagricos cum expertibus podagrae, & non ipsos secum, comparandi necessitas?

Asthma.

DCIV. Asthma asthenia, hactenus medicis incomprehensibilis, est; ubi communibus astheniae signis additus spiritus difficilis, incertis temporis spatiis, saepe inaequalibus, nullo praeter solitum sputo accessiones comitante, repetens.

DCV. Eadem fere hic, quae in podagra leniore prosunt obsuntque. Eodem modo prohibentur & tolluntur accessiones.

Spasma.

DCVI. Spasma quoque ex astheniae casibus est; ubi saepe ex dolore, saepe ex ebrietate, haud raro sudore & aestu macerante, modo carpi, modo poples alteruter quilibet denique extrinsecus locus, ex internis partibus nunc ventriculus, nunc aliqua in intestiniis pars, est ubi, vesica urinifera, adficiuntur. Idem, non noxis indirectis contentum, e rectis quoque, ut inedia, vomitu, alvo praecipite, aquae praeter consuetudinem potione, nascitur.

DCVII. Ad tollendum hoc malum; cum lenitatem, quae hic intelligitur, non excedit, corpus universum mediocribus stimulis roborandum, offensa quaeque maxime urgens tollenda, gestatio, exercitatio, non vires superans, exequenda. Saevior morbi natura sub tetano mox exponetur,

Anasarca.

DCVIII. Anasarca astheniae forma est, quam aqua inter cutem manifesta, corpus exterius tumefaciens, sine suffusae in interiora signis, insignit.

DCIX. In curatione roborandum corpus, ibique maxime, ubi summa cum atonia laxitas, nempe, in cute est. Huic consilio calor stimulans, fricatio, aer purus, siccus, victus alens, stimulans, cortex peruvianus, conveniunt. Nullus intus adfectus in cau-

sa est; ut hinc scias, quod symptomata curationi relatae cedunt.

Colicodynia.

DCX. Colicodynia astheniae forma est, graviorque colicanodynae vis, in qua ad communia debilitatis signa, horum gravitas maior, dolorque circa umbilicum torquens, cum ventris alicubi; saepe immani dolore, quandoque tumore, extrinsecus deprehendendo, superadduntur.

Dyspepsodynia.

DCXI. Dyspepsodynia est asthenia, dyspepsanodynae signis, in epigastrica regione dolorem & ventriculi morsum adiiciens, & saevum imprimis morbum exprimens.

Hysteria Gravior.

DCXII. Hysteria gravior maior hysteriae lenioris vis est, ubi praeter illic relata, animus mobilis, varius, sopor, convulsio, & magna cum epilepsia similitudo, conspicienda sunt. Huic contrarium, quod hypochondriasi, favet temperamentum; sanguineum vulgo dicitur, & opportunitatem firma simplicia humidiora, laxiora, creant.

Podagra imbecilliorum.

DCXIII. Podagra imbecilliorum, quae validiorum

auctior est, ea est asthenia, in qua longior, ac tandem nulla, inflammatio; gravior, pertinax, ac summus tandem, communis adfectus, evadunt; sub finem demum omnia fere debilitatis signa, omnem astheniae formam praestantia, & phlogosin quandoque falsa specie referentia.

DCXIV. Ut canalem alimentarium adficientibus morbis, supra relatis (DLVI. ad DLXVI.) sic his quoque (DCXI. ad DCXV.) communis magna ex parte natura est, nec ab illis, nisi maiore vehementia, dissidet. Insignia maxime symptomata sunt aut spasmus, duobus prioribus (DCXI. DCXII.) & podagrae adfectibus adhaerens, aut spasmodico-convulsivus status, reliquos duo (DCXIII. DCXIV.) discriminans. Sed neque haec inter se vera natura differunt; utpote quae non solum a debilitate, sed propemodum quoque pari, ut noxarum & auxiliorum similitudo documento est, pendeant. Plenissimam spasmi & convulsionis explicationem supra (CLXXXVIII. ad CXCV. CXCV. ad CCI.) repete.

DCXV. In omnibus vitanda omnis inedia, fatigatio, humorum detractio, acida, acescentia, frigus, debilitantes sive recta sive eventu animi adfectus, ex mentis actione debilitas, impurus aër. Omnium curatio stimulatrix sit necesse est. Ubi levior eorundem dein quisque adfectuum est; iusculum bubulum & similia lauta, partim diluendo, partim in imbecillo ventriculi statu, ubi firmior materia recipi nequit, alendo, stimulando, & corpus sustentando, dein, recuperatis viribus, firmior cibus carneus, cum modica potione diluta, vires demum firmando, sufficiunt. In maiore morbi vehementia, ut iuscula non

omittenda sunt, ita potio valida meiax danda: Cumque omnis huius forma, saeviente malo, deficit, ad opium, moschum, alkali volatile, & caetera decurrendum; haec largissime subministranda; acida & fermentantia omnia cavenda.

DCXVI. In salutis intervallis debilitantia omnia fugienda, cuiusmodi fatigatio, inedia, frigus, calor nimius, sunt; & accessiones non per insitam naturae vim, sed hominum culpa, repetere pro certo & explorato habendae. Ecce laetum, & praeter omnium hactenus opinionem, nuncium! Ipsius podagrae accessionum repetitio non necessaria est. Sed, cautis offensis relatis, in quemvis longitudinem repelli; cumque aegrotantis culpa supervenit, duabus saepe horis, semper fere totidem diebus tolli, & valetudini omni ex parte consuli potest. In iisdem omnibus similis vehementiae morbis, quoties quivis stimulus langiore mora minus iam valere coepit; ad alium, & ab hoc ad alium etiam, & sic per omnium orbem (XLI.), eundum.

Hypochondriasis.

DCXVII. Hypochondriasis asthenia est, ubi, cum dyspepsiae signis, ventris murmure, inflatione & molestia, morbo maior aegrotantis opinio est. Ad quem viam faciunt, firma simplicia sicciora, idque temperamentum, in quo adfectuum animi pigrities est, excitatorum demum vehementia, diuturnitas; tum fixior, & alicui rei aut studio nimis incumbens, haud facile alio traducenda, mens; summum corpus siccum, asperum, crinium & oculorum nigrities.

DCXVIII. E definitione relata hypochondriasin astheniam esse constat; utpote quam dyspepsiae signa, ventris murmur, & inflatio comitentur; adfectuumque animi pigrities, item cogitandi contentio, isque firmorum simplicium status, cui magna stimulantis operis vi, qua incitatio satis pariatur, parta servetur, opus est, morbi cursum insigniant.

DCXIX. Quoniam simplicium firmorum status, natura datus, & immutandus arte est (LXII. LXIV.), solúmque medenti, certam incitationis vim certae illorum naturae aptare, consilium (XXVI.) permittitur; perinde ac in hoc morbo. Igitur (CCCIII.) cibi, potionis, caeterique stimuli, in hypochondriasis curatione, parandi sunt. Hilaritati, conviviis gratis, itinere variatoque rerum conspectu, consulendum; equo, quo occupatior hoc regendo insidens sit, vehendus; studia & omnis cogitandi materia saepius mutanda, varianda. Vinum generosum, ad ventriculi & intestinorum symptomata levanda, dandum. Cui si minus cedent, diffusibiliora, ut opiata, pro tempore, ad magnum subito levamen adsequendum, inculcanda; dein ab iis paulatim, prout naturalibus magis & consuetioribus stimulis iam sustentari vires queant, recedendum; tenebrae, malus aër, vitanda; lux, huius puritas, & omnia vivida quaerenda; nunquam hypochondriacus quisquam, ne delirans quidem, irritandus, sed omni ratione demulcendus.

Hydrops.

DCXX. Hydrops anasarca est, cum visceris alicujus tumore, plerumque, saltem initio, aliquem prae

caeteris locum, magisve quovis alio, incessente nullo localis adfectus indicio, dolore vel molestia, praecedente.

DCXXI. Hydropis causa, quantum haec collectam aquam spectat, hac facile, nulla alia doctrina omnino, explicabilis est. Communis enim cum toto corpore debilitas, scilicet, laxitas & atonia, in extremis arteriolis rubris, & quae ab his protinus continuantur exhalatricibus, item in absorbentium venarum principiis, potissimum viget, & ex eodem vasculorum genere, saepe in aliquo corporis loco prae caeteris urget.

DCXXII. Ut omnes offensae debilitatrices ad hanc pariter, & quamlibet aliam astheniam creandam, pertinent; ita eae maxime hic valent, quae genus vasculosum praesentius urgent. Hinc, ut in peripneumoniae in hydrothoracem transitu, potentissima noxa sanguinis profusio, &, calefacto supra modum, simulque defatigato, & siti ardente, corpore, largius & avidius hausta frigida. Cuius in omni debilitate, nullo sequente stimulo, vis nocens satis ante (CXVII. ad CXXII.) superque explicata est. Sed &, in hoc casu, patefactis omnibus vasis, aqua ad debiles maxime fines perfluens, his diffluens, nec prae copia ab exhalatoribus in absorbentia, omnis traiici potis, in vicinum quodque cavum colligitur. Hinc urgentis, hunc morbum symptomatis, initium.

DCXXIII. Ad hanc astheniam pertinent omnes effusiones aquosae, quae a locali adfectu non proficiscuntur, sed in pura positae debilitate sunt. Eoque, si quando alia quaevis astheniae forma, sive curandi vitio, sive aliis noxis, in huiusmodi effusionem

pro-

procurrens transit; omnis ea iustus hydrops habendus, duosque tantum morbos perpetuos esse, & distinctiones hactenus receptas inanes, recordandum. Sic tam alias male, quam sanguine detracto, epilepsia, paralysis, podagra, quin & ipsa peripneumonia, debilitatrice nimis curatione in recta, vel sibi permissa, &, non debilitato satis corpore, in indirectam versa debilitatem, saepe hydrope vero clauduntur. Contenta locis vitia, quae pro remotis hydropis causis habentur, inter localia vitia tractabuntur.

DCXXIV. Exposita hydropis natura, minime curatio, dummodo recta sit & satis matura, tam desperanda; quam, ubi localis cum effusione simili adfectus, & perpetuus morbus, sine discrimine confusi sunt, videri debet. Si nulla intus molestia diu ante effusionem fuit, & morbus subito magis, & post manifestas noxas debilitatrices, incidit, & primae curationis parti cedit, spes salutis erit.

DCXXV. Praeter commune astheniae medendae consilium; hoc in universa vasa, maximeque circa fines eorum, circa absorbentium venarum principia, quae insignius laborant, praecipue dirigendum est. Auxilia quoque solita sunt, victus quam maxime alens, quam maxime stimulans fluens, prius, si firma prae ventriculi debilitate materia recipi nequit; dein etiam haec; unaque cum utraque potio valida, ut vinum quam optimum, liquor sacharinus, fermentatus modo merax, modo dilutus. Quibus diutius adhibitis, si morbus resistere perstabit, ad opii formas fugiendum. Hac ratione, cum nondum eo magnitudinis effusio processit, ut localem adfectum, nullo communi incitationis statu mutandum, efficiat; haec aeque facile,

ac quaelibet eiusdem magnitudinis asthenia, solvi potest.

DCXXVI. Cum autem in cavum amplum aliquod magna aquae copia iam confluxit; ea saepe cathetere demisso protinus auferenda. Quo facto, firmato, quam maxima cura vacuefacto cavo, viribusque vino, potione valida, stimulove diffusibiliore, consulto, ad administrationem (CCXXVII.) relatam redeundum. Quae si nunc quoque frustra fuerit; aut morbus, ante perpetuus, in localem degenerasse, aut ab initio localis fuisse, iudicandus.

Epilepsia.

DCXXVII. Epilepsia asthenia est; quam insignientes notae sunt, mens paulo hebetior, sensus obtusiores, dein summopere imminuti, vel pro tempore deleti, varia corporis convulsione comitante. Quae accessiones dein incertis spatiis repetere, & in spumam ex ore volutam desinere, solent.

DCXXVIII. Ut omnes noxae debilitatrices hunc morbum, sic sanguinis & aliorum humorum, iactura. Venus immodica, adfectus animi, quales metus, terror sunt, inquieta in magnis ingeniis, in stupidis deficiens, cogitatio, prae caeteris creant. Haec, quae primam pariunt accessionem, dein facilius reducunt; praeterque ea, quaedam sensus insolita vi adficientia, nonnunquam ingrata, quandoque, ut ciborum quorundam, ut ipsius rosae odor, gratissima, eodem spectant; eodem spectare venena quaedam dicuntur.

DCXXIX. Sed symptomatum species, fallacissima

res, &, nisi noxarum ea creantium, & auxiliorum tollentium, natura & effectu spectatis, incomprehensibilis. Ad praesentem de venenis nodum solvendum, &, an venena perpetui morbi, an vitii loco contenti, sint, constituendum; utrum ea vitium in aliqua parte, quale aurae epilepticae in aliquo inferiorum artuum puncto causa est, vel in ventriculo, vel in cerebro, creet, quod auxiliorum, incitationem mutando medentium, virtuti resistit; an per incitationis mutationem omnia symptomata vel leniantur, vel tollantur, considerandum. Si illud in causa est, adfectus localis habendus. Si hoc verum est, pro perpetuo morbus & asthenia vera, sed magna, iudicandus. Denique multa perpetuorum morborum symptomata dissimilia ab eadem origine, multa similia a diversis, aliud ab alia, esse; multa localia cum perpetuorum propriis magnam similitudinem habere; & epilepsiam alia, apoplexiam & quosdam praeterea perpetuos morbos, falsissima specie referre, non est obliviscendum.

DCXXX. Ad huic morbo occurrendum, tam alia debilitantia, quam ea, quae praesentissimae noxae sunt, vitanda. Vasa, cibo quam alentissimo, & ad sanguinem creandum potentissimo, replenda; veneri moderantius indulgendum; hilaritati & animi tranquillitati studendum; acribus studiis abstinendum, modicus cogitationis tenor inveniendus, omnia quae sensus turbant, cavenda. Victu quam stimulantissimo, exercitatione vires recreante, Peruviano, si accessiones praesentiri possunt, paulo ante proximam quamque, cortice, item vino & diffusibilioribus auxiliis, robori consulendum; media nimio & deficien-

ti somno vigilia servanda; stimulans calor admovendus; nimius pariter & frigus fugienda. Quam purissimus aër, qualis sub divo, non humidus, est, quaerendus. Fricatione & munditiis summum corpus, quibus motus voluntarii instrumenta, cum animali capitis potestate coniunctissima, foveantur, excitandum.

DCXXXI. Quod, ad solvendam epilepsiam, id est, omnes accessiones ex toto prohibendas, attinet; summi momenti quaestio, raraque perpetuos morbos spectans. hic occurrit; scilicet, an, ut podagrae, quam, nisi nuper, nunquam quisquam ex toto prohiberi posse ratus est, epilepsiae quoque, radicitus prohibendae, solidaeque valetudinis praestandae, sit facultas? Quod, ut nondum pro certo factum est, ita, haud ancipitem eius spem promittunt, curationis asthenicae non maior in hoc, quam aliis asthenicis casibus, infelicitas; contrariae in plerisque, sicut sanguinis profluviis, rheumatalgia, febribus, & relata modo podagra, felicitas; nihil in epilepsiae, quantum perpetuus morbus est, noxis novi; nihil a reliquis diversi; manifestum e stimulis diffusibilibus, nondum probe tamen adhibitis, accessionum lenimen; & asthenicae medendi viae perpetuum damnum; postremo non minor huius cum reliquis asthenicis, quam earum inter sese, quae certa & explorata est, rationis similitudo.

Paralysis.

DCXXXII. Paralysis asthenia est, ubi, cum reliquis solitae debilitatis indiciis, saepe cum aploplecticae accessionis aliquanto, subito plerumque motus a-

licubi corporis, est ubi, sensus, imminuuntur: Quae levior & brevior in salutem, gravior & diuturnior in apoplexiam & mortem, desinit.

DCXXXIII. Ad paralysin creandam pertinent solitae epilepsiam & apoplexiam facere noxae: praeterque eas, omnes astheniae cuiusvis communes, recta, eventu, debilitatrices: magna generis nervosi per stimulos iusto diffusibiliores commotio, magis corporis circumferentiam, ubi motus voluntarii instrumenta potissimum sita sunt, interiora & cerebrum minus, adficiens; quae in ebrietate, gulositate, & omni intemperantiae genere, manifesta est; item dives vitae genus; quod plerumque cum in noxis copulatur, eodem omnia pertinent.

DCXXXIV. Iam coeptam, ut eventu pariter & recta debilitantia, servant; ita

DCXXXV. Ad medendi consilium; quod idem prorsus, ac in epilepsia est, propterea quod causae vis summo corpori propius adhaeret (DCXXV.), igitur praecipua auxilia sunt, ut supra in epilepsia dictum, ea, quae, maxima summi corporis roborandi facultate, pollent; cuiusmodi fricatio, gestatio, exercitationis id, quod vires ferant: quo languens in musculorum fibris incitatio, praesente opere, suscitetur; item idoneus calor; aër purus, eoque, quantum maxime fieri potest, sub divo. Postremo, sicut omnia, stimulatrice virtute praedita, pro aequalior, quod in omni curatione summi momenti est, & ubique incitatio, ad secundae prorsus valetudinis normam, vigeat, minime debent omitti; ita in extrema illa, quae tantam motus voluntarii impotentiam praestat, debilitate, quia praecipuum impellere sym-

ptoma summopere interest; igitur opii, cuius virtus plurimum in summo corpore potest, plurimo, urgendum, donec aliquid reducis motus initium pariatur; dein, nullo reliquorum stimulorum adiumento neglecto, sed simul aut in serie, quo potentior simul & aequalior communis effectus sit (CCCIV. ad CCCXII.), adhibitis omnibus, morbi radix convellenda.

DCXXXVI. Eo debilitantia & humores detrahentia cavenda sunt, quod non vigor, non abundantia sanguinis, sed huius penuria, defectus illius, in causa est.

Apoplexia.

DCXXXVII. Apoplexia est asthenia, duas modo relatas (DCXXVII. DCXXXII.) causa & curatione, referens, symptomatum specie, quae nullum veri discrimen edit, differens. In qua, praeter ei cum his & reliquis astheniis communia signa, subito sensus, animi vis, mentis actio, motusque, voluntati parentes imminuuntur; spiritus, sed cum stertore, superest, arteriarum pulsus debiles sunt, & omnis sub imagine somni profundi peragitur accessio. Raro hic morbus ante provectam, saepius confecta aetate, incidit.

DCXXXVIII. Grandia nec bene plerumque formata laborantium capita, breves crassaeque cervices, sunt. Utque recta & eventu debilitantia, sic haec praecipue, morbum creant. Ex eventu debilitantibus, maxime valet, cibi, potionis, desidiae, luxuria, iam stimulante & vasa replente cursu peracto, vere debi-

litans, & penuriam humorum creans. Utque utrumvis debilitatis genus altero semper, eoque indirectum recto (XXXIV. XLVII.), intenditur, ita id in hoc casu memorabiliter evenit. Hinc antisthenicae curationis adeo exitialis in apoplexia vis, ut saepe non tertiam, nunquam fere quartam, accessionem superari pro regula sit receptum.

DCXXXIX. Epilepsiae, paralyseos, & apoplexiae causa est omnis astheniae communis, in paralysi, nisi initio & fine, caput minus, in altera utraque graviter, adficiens, in omnibus, voluntarii motus instrumenta, perturbans. Quae perturbatio, sive motus deletur, sive minuitur, sive in convulsione auctus videtur, eodem redit, & a debilitate, sicut ante (CXCI. CXCVIII.) explicatum est, pendet.

DCXL. Idem quoque, quod per totam hanc morborum formam obtinet, medendi consilium est, in partes gravius laborantes auxiliorum vi potissimum, quantumve fieri potest, directa. Ad prohibendas igitur undique formidabiles, & periculi plenas, accessiones; quantum huius mali particeps indirecta sit debilitas, quantum cum hac directa concurrat, item grandis aetatis naturale opus, recordandum. Itaque nimius omnis stimulus sic, ut corpus tamen roboretur, & recta debilitas caveatur, fugiendus; stimulatrix medendi via modice & adcurate insistenda; antiphlogistica velut exitio futura vitanda; &, si quae stimulorum formae, sive longo, sive nimio usu, suam ad naturae normam facultatem incitatricem perdiderunt, iis aliae, quas incitabilitas, nondum iis detrita, recipere adhuc potest, sufficiendi; scilicet ciborum, potioni, stimulorum diffusibiliorum, genera in

orbem commutanda, &, in usurpati recentius cuiusque defectu, ad iamdudum omissos recurrendum.

DCXLI. Tres, de quibus agitur (DCXXVII. DCXXXII. DCXXXVII.) morbi e plethora, caput impetente, cerebrumque comprimente & nocente, nasci, vulgo creduntur. Sed, praeterquam quod plethorâ nusquam, ubi credita est, existit (CCXXII); quo modo extrema, qua hi morbi, incidunt, aetate, vel interdum in epilepsia debiles & famelicos pueros adficiente, sanguis abundare (CC.) potest? An in his cibi, qui solus sanguifica materia (CXXXI.) est, inopia, in illis, iamdudum, vigor praeteritus, sanguinis abundantiam, & non contra penuriam, creet?

DCXLII. Ut non plethora, ad eosdem excitandos morbos, sic neque sanguinis aut seri super cerebrum effusio pertinet. Haec satis quidem frequens est, sed ultimus eventus, non prima causae origo. Quin & similis effusio omni vasorum ex magna debilitate laxitati communis subest.

Trismus.

DCXLIII. Trismus tetanus minor est, contento maxilla inferiore vicinisque locis spasmo. Hic rarus adfectus sine aliis aeque conspicuis est; utpote formidabile febrium vulnerumque symptoma. Idem, ubi hoc fit, sub febribus tractabitur, ubi illud, maline localis, an perpetui morbi sit, quaeretur.

DCXLIV. Quia nunquam protinus post adactum vulnus, sed hoc vel sanato, vel interposito satis magno temporis intervallo, solet accidere; igitur, aut e

dolore magno, moratoque, qui semper plurimum debilitat, aut ex ea, quam antisthenica curatio solita creat, debilitate, aut e caeca in generis nervosi materia labe, nascitur.

DCXLV. E debilitate esse, fidem faciunt, omne spasmi genus semper in debilitate positum (CLXXXIX. DXC.), nulla tetani, qui idem prorsus adfectus est, magnitudine tantum differens (CXCVII. CCXXVIII.) origo alia, denique huius pariter, & aliorum omnium spasmorum, curatio stimulatrix felix, infelix antisthenica. Caetera huc attinentia, si qua reliqua sunt, sub tetano deinceps exponentur.

Tetanus.

DCXLVI. Tetanus asthenia est, eoque semper recta vel eventu debiles adficiens; ubi, modo conscia mente, modo non, nunc laborante spiritu, nunc immuni mali, totum corpus, vel cervix, & vicinia tantum, alias antrorsum, alias retrorsum curvantur, & a rigido spasmo tenentur.

DCXLVII Tetanus frigidiorum locorum, ut Europae septentrionalium, rara, huius meridionalium calidiorum frequentior, in ardente plaga frequentissima, proles est. Rarus, qualis apud nos est, vix consuetam aliis communibus morbis debilitatem, sequitur; contra fere semper ex insolita illa, quam lacerans vulnus, fractis ossibus, efficit, debilitate, eius, quae ante fuerit, vel in curationis cursu, forte inciderit, debilitatis summam intendente, nascitur. Ad frequentiorem, magisque etiam frequentissimum, qui plagae ardenti familiaris est, concitan-

haec, quam quotidiana; quae sic, quod quotidie redit, adpellatur. Peior morbus in remittentem aut continuam formam degener, quam dilatis accessionibus, interposita intervalla producens; formaque & typho cuiusque febris datis, universum genus in calore coeli, quam frigore, frequentius simul & saevius est.

DCLII. Hoc febrium genus toto frigore in debilitate positum esse, symptomata, noxae excitantes, & curatio, sive prospera, sive contra, declarant.

DCLIII. Incipit morbus & accessio quaeque a sensu frigoris, summo caloris desiderio, tremore, corporis tremebundo succussu, pallore, cutis aridae contractione, tumorum, quae forte ante fuerint, diminutione, ulcerum exsiccatione, mentis inopia, inconstantia, quandoque delirio, sensus hebetudine, animi languore, motuum voluntariorum torpore, animi pariter & corporis, ne ab intervallis quidem sejuncta inertia, denique manifesta universarum actionum debilitate.

DCLIV. Si terror, horror, cucumeres, melones frigidi, fames, crapula, cibi concoctu difficilis materia, ad accessiones iamdudum intermissas reducendas plurimum posse, explorata sunt; si in frigidis locis, ubi frigus potissimum offendit, male vestita, famelica, & labore fracta, plebecula sola fere morbo implicatur; si in calidis orbis plagis ii prae caeteris, qui debilitantibus omnium generum noxis maxime patuerunt, eodem corripiuntur; si in humidis locis lautioris victus genere & genialibus poculis curati, immunes morbi evadunt, aquae potores & parciore victu attenuati eum in primis experiuntur; eae om-

nes res, quam hic morbus non a calore & humore solis, sed etiam a frigore, nec ab utrovis solo, sed ab omnibus noxis debilitare solitis, solito omnium astheniarum more, pendeat, ostendunt.

DCLV. Porro, si omne purgationis genus, quoties eius periculum factum est., haud ambiguae noxae esse deprehenditur; si sanguinis detractionem vix quisquam sanus vel tentavit; si, ante deprehensum Peruvianum & similis operis cortices, variae potiones validae satis feliciter adhibitae sunt; & nunc quoque omni cortice stimulos diffusibiles longe plus posse, quin & illum saepe deficere, hos ad salutem efficaces esse; compertum est; ex hoc quoque argumentorum genere reque certa, nihil in hoc morbo a reliquis astheniis diversi esse, sed noxis excitantibus, causa, & curatione, prorsus iis convenire, solidissime convincitur. Quod si symptomatum specie differt; in nullam naturae differentiam, ac ne quidem insolitum quicquam ostendit; utpote cum omnes astheniae relatae, quantumvis eaedem esse demonstratae sunt, similiter tamen inter sese differant; nihil usquam, veri habeant, nihil doceant symptomata. Nam ab eodem secundae prorsus valetudinis statu quemadmodum eaedem prorsus actiones sanae profluunt; sic illo, vel ut augeatur, vel ut imminuatur, eius causa, mutato, actiones a sanarum norma in omnes species ita mutantur, ut nihil tamen in causa, sicut vulgo creditum est, diversi, nullam nisi magnitudinis, differentiam indicent.

DCLVI. Sic quod spasmus, convulsio, tremor, inflammatio ex imbecillitate, sanguinis profluvia, cibi sublatum desiderium, sitis, nausea, vomitus,

& reliqua quotquot sunt, ab una & eadem causa proficiscuntur, unoque & eodem auxiliorum opere solvuntur, ac ne in morbosi status serie quidem ita debilitatis gradus exprimunt, ut ullus inde sumendus ordo videatur; id omne modo dictum confirmat, & per rationis similitudinem, febrilem quoque statum, modo maioribus, modo vix conspicuis, apyrexiae intervallis, quod & aliis plurimis morbis usu venit, interstingui, non ex causae proprietate, sed causae variante vi, demonstrat. Si febres modo febrilem impetum intermittunt, modo remissius faciunt, modo, hoc minus evidenter praestando, prope continuato impetu procedunt; an in his momentis a podagra, quae nunquam pari impetu procedit, sed subinde remittit, saepe, salutis aliquo intervallo relicto, saevius dein repetit; an ab asthmate, cui idem prorsus accidit, ulla re cuiusquam momenti, differunt? Et quid in dispepsia, in vomendi saepe vehementia, & reliquorum signorum saevitia, quam summi leniminis intervalla intercurrere, consuetius est. Eandem habet prorsus pertussis, eandem tussis ipsa rationem. Denique quotusquisque omnium sive sthenicorum, sive asthenicorum, morborum est, cuius impetus morbosus ab initio ad finem idem permaneat? Nullus est. Nam, ut vita in omnibus eius statibus semper potestatum excitantium actioni respondet, & tam periculum morborum, quam hi ipsi, pro minore iusto vel maiore illa, superveniunt; ita morborum, postquam acciderunt, cursus eandem normam sequitur, modo intenditur, modo remittit, modo pro tempore interrumpitur; perinde ac in hoc febrium genere.

DCLVII. Quarum causa est, omnium astheniarum, sive febrilium, sive non febrilium, communis; sed ita directa, eoque modo insidens, ut, post aliquot horarum intervalla, febribus omnis vis abscedat, vel imminuatur. Quod ideo fit, quia noxae excitantes pro eadem ratione vel removentur, vel lenius incumbunt; uno verbo pro tempore augetur incitatio. Variantium typhorum materia varians non est causa. Quo enim modo, si id ita esset, idem casus omnes aliquando intermittendi, dein remittendi, dein prope continuandi formas, & contra, percurreret? An quae singulas formas facere fingitur materia, ad alteram formam faciendam in eam materiam, quae huic necessaria ponitur, mutatur? An, vapor, vel, ut aiunt, effluvium ex animantibus submissus, qui typhum quemvis, eoque Aegyptiacum, creare creditur, ubi hic in intermittentem & remittentem naturam vertitur, etiam in inquinamentum palustre, quod eam formam efficere iudicatur, una commutantur? Potiusque, quae quamque primum fecit materia, ea permanens alienae forma origo evadit? Si hoc forte placeat, quomodo eadem causa diversos effectus edat? Si illud, quid, quoties forma febrilis mutatur, toties eius causam, materiam, quoque mutari, quod ulla ratione recipi possit, indicium est? Inquinamenta non in causa esse iam ante demonstrata. Effluvium, seu vapor animalium, pariter a causae ratione abesse mox evincetur? Quin & nullam aliam, intus receptam, materiam hic aut ubivis, offendere, solamque incitationis mutationem omnium morborum toti corpori communium originem perpetuam esse, validissimis argumentis convictum est.

DCLIX. Ut in accessionum reditum inquiratur; huic febrium formae proprium non est, ut pyrexia, vel adfectus communis, post eius pro tempore solutionem, redeat; idem podagrae, quoties salute reducta, morbus redintegratur, usuvenit, & ob eandem quidem causam. Quemadmodum enim per roborantia repelluntur hi morbi, sic per debilitantia, quae prima eorum origo fuere, reducuntur. Sic, ubi sibi morbus permittitur, ubi debilitatrice curatione tractatur, pergit redire; ubi cortice peruviano, certiusque vini formis, & diffusibilioribus stimulis curatur, & ea curatione, quoad vires prorsus firmentur, non desistitur, nunquam redintegratur.

DCLX. Tertianae Scotiae vernae sine medicinis procedente tempore, calore prius lecti dein, adveniente aestatis, solis, in intervallis cibis & potione modica, trium fere mensium spatio, decedunt. In locis omnibus propius meridiem admotis saepe cortex Peruvianus, cum ei tota curatio creditur, frustra est, nec nisi perquam diffusibilibus auxiliis tolluntur.

DCLXI. Frigoris maxima debilitas, caloris minor, sudoris qui in salutem pro tempore desinit, minima, est. Hinc in leni morbo quemadmodum frigus maxima noxa est, ita iucundus lecti solisve calor, eius effectum paulatim adimit, paulatim vires elicit. Eodem cor & arteriae paulatim concitata, maiore demum in perspiratoriis suis finibus vi suscitata, nocentissimo symptomate sublato, calorem, dein sudorem, restituunt.

DCLXII. Ubi maior morbi vis est; haec (DCLXI.) frustra habentur, &, nisi validissimis auxiliis adhibitis,

bitis, pro intermissionibus, in remissiones tantum, vel etiam obscurissimas has, quae continui morbi speciem dant, admissis equis irruit.

DCLXIII. Et quoniam in omni morbi vi morbus eo repetit; quod aut non minor eius vis minoribus, aut non maior maioribus auxiliis sistitur; danda igitur remedia tum ante frigus, tum hoc, tum toto apyrexiae tempore ad proximam accessionem, perque etiam hanc, & post eam, continuanda. Postremo, ut in omni alia asthenicorum morborum curatione, a maximis stimulis, prout minoribus & naturalibus magis corpus iam sustentari poterit, paulatim recedendum.

Dysenteria gravior.

DCLXIX. Dysenteria gravior asthenia est; in qua praeter communia toties iam relata, dolores in intestinis, tormina, deiectiones innumerae, mucosae, interdum sanguineae, stercoris naturalis plerumque expertes, saepe post contagionem accidunt.

Cholera gravior.

DCLXV. Cholera gravior, communibus cuiusvis astheniae signis vomitum & deiectiones inter se cum magna violentia alternantes, & e biliosa plerumque materia constantes, adiicit.

Synochus.

DCLXVI. Synochus est typhus mitissimus, isque, qui praecipue in regionibus aut temporibus frigidio-

ribus incidit: quadam symptomatum cum synocha similitudine, sed falsa, pro hac initio, medicos fallens.

Typhus simplex.

DCLXVII. Synochus est, qualis hic calidioribus regionibus aut temporibus adparet, sed aliquantulo gravior, satque tamen simplex.

Cynanche gangraenosa.

DCLXVIII. Typhus est, simplice paulo gravior, cum eruptione in cute, & faucium inflammatione, rubente, tumente, & crustis mucosis albescentibus, & ulcera tegentibus. Anginae, supra relatae (CCXII.), finis huius morbi vim exaequat superatve.

Variola confluens.

DCLXIX. Typhus est, ex indirecta debilitate potissimum suboriens. Cui magna variolae discretae eruptio, inflammationis localis perpetua toto corpore crusta, praeiens, locali gravique stimulo sthenicam in asthenicam diathesin, inflammatorium in gangraenosum, adfectum, vertit, stimulatrice vel antisthenica curatione, sed tali tamen, qualis indirecte debilitati (CIII. ad. CVII.) convenit, administrandum.

Typhus pestilens et pestis.

DCLXX. Typhus pestilens morbus asthenicus summae, vix ipsa peste excepta, debilitatis est; ubi sum-

tium corpus primum arescit, pallescit, callescit, contrahitur, dein, maximeque sub finem, humescit, maculis, colliquente sudore, digeritur, vibicibus intersting uitur, deiectione simul colliquent; ubi ventriculus primum nullo cibi desiderio, dein fastidio, nausea, haud raro vomitu, premitur; ubi alvus primum durescit, dein, ut dictum, colliquescit; ubi mentis actio primum imminuitur, dein parum cohaeret, tum, & saepe immanissime, delirat: ubi animus deiicitur, tristitia & moerore conficitur: ubi motus voluntati parentes mature imminuuntur, dein ita delentur, ut suis musculis aegrotans sustentari in lecto, quin subinde superne in inferius delabatur, nequeat, & sensus vel hebescunt, vel praeter naturam acuti sunt. Denique urina, stercus, spiritus oris, & omnia excrementosa, male in primis olent.

DCLXXI. Similibus pestis notis incipit, procedit, terminatur. Ad quas utique carbunculi, bubones, & anthraces, accedunt. Quae hic frequentissima sic fiunt, ut illinc tamen non ex toto quin aliquando accidant, aliena sunt (CCXIX.).

DCLXXII. Contagiosa materia interdum typhum, semper pestem, comitatur. Illa communis naturae, vel qualis in qualibet orbis parte accidere periclitatur; haec certae regioni, nempe orientali Europae, & Asiae occidentali, a Turcis possessae, propria existimatur.

DCLXXIII. Quod ad contagiosam typhi materiam attinet; humorum corruptio minus ad eam accepta referenda; neque calor tantum, quantum solet, culpandus; nam frigus aeque ad effectum (CXV. CXXI. CCLXI.) & quicquid pariter ac calor sive recta, si-

ve, ut is, eventu, debilitat, pertinet. Per eam debilitatem in extremis vasis, intus, extrinsecus, eoque prae ceteris, in canalis alimentarii & perspiratoriis, humores stagnant, stagnando sub corporis calore in alienam illam naturam, quae latiore sensu corruptio, incertiore putredo, dicitur, degenerant.

DCLXXIV. Ut horum omnium morborum (DCL. ad DCLXXIV.) causa eadem, quae non febrilium, subest, nempe, debilitas; hoc tantum, quod maxima est, quae cum vita nec diu tamen, consistere potest, differens; ita

DCLXXV. Et medendi consilium idem, quod reliquis astheniis, sed haud paulo quam in iis, quae multum leviores sunt, adcuratius. Respicienda igitur in curatione sola debilitas, est, auxilia stimulantia seu antisthenica sola danda, nec ullo medendi discrimine, nisi quantum aut recta aut indirecta debilitas requirat (CIII. ad CX.), opus est.

DCLXXVI. Eventu debilitantia sunt, eruptionis in variola confluente gravis & localis, toties frangens vires, stimulus, item ebrietas, calor, vel diu continuatus luxus. Ad quas noxas, sic indirecte debilitantes, reliquae omnes plus minusve accedere possunt.

DCLXXVII. Cumque raro accidat, ut aut recta aut indirecta debilitas sola noceat, tertius igitur casus datur, ubi utrique simul pugnandum sit.

DCLXXIII. Recta debilitantes noxae notae sunt, scilicet, frigus, tenuis (CXVII. CXXVIII.) victus, sanguinis & aliorum humorum detractio, corporis, mentis & animi (CXXXIV. CXXXVI.) quies, impurus aër (CXXXIX. ad CXLII.)

DCLXXIX. Quae utraque cum debilitando agant: ita eorum nonnulla septica esse, & fermentando nocere, ab antisepticis, seu fermentationem sistentibus, auxiliis solvenda; & ex illis calorem, ex his frigus, vinum, corticem Peruvianum, & acida, esse (CCLIX. CCLXI. CCLXVIII.), cave credas.

DCLXXX. In lenioribus casibus, ubi debilitas recta, ut in intermittentibus locorum frigidorum, maximeque vernis, nocet, item in synocho, typho simplice, & ipsa peste miti vix vino mero validior stimulus requiritur, & caetera curatio sic, ut saepius iam in lenioribus asthenicis malis monitum est; administranda.

DCLXXXI. In gravissimis febribus, cuiusmodi, in calidioribus orbis regionibus plagisve, remittentes, item typhus gravis, ubi pestilentialis est, sunt, item in dysenteria & cholera eorundem locorum gravissimis, & in ipsa peste gravissima, quorum omnium adfectuum causa recta fere debilitas est, vel in lenioribus iisdem ab initio morbis, iamque, ob veram neglectam, aut malam adhibitam curationem, pessimam in cursu naturam nactis; a summis diffusibilibus stimulis; cuiusmodi opium, alkali volatile, moschus & aether sunt, protinus & exiguis dosibus, sed saepius repetitis, incipiendum; dein, reducto robore, firmatoque per ea ventriculo, ad cibum, potionem, gestationem, aëra purum, hilaritatem, postremo solita vitae officia, perveniendum.

DCLXXXII. Ubi indirecta magis debilitas offendit ut in intermittentibus aut continuis magis febribus, ab ebrietate concitatis, atque in variola confluente, eadem usurpanda remedia sunt, sed inversa mensu-

rae ratione. A summis igitur dosibus, eique stimuli, quod morbum facerit, magnitudine proximis, curationis exordium sumendum, dein ad minores usque decurrendum, quoad, ut ante (CCCVIII. ad CCCXII.) consuetis & naturalibus, quales in secunda valetudine bene adhibentur, vires tolerari queant.

DCLXXXIII. Ut in utroque casu aliqua mensurae ratio proponatur in recta debilitate, ubi incitabilitas abundans non stimuli pro tempore multum recipit (XXV.-VI.), denae vel duodenae laudani guttae, quarta quaque horae parte, donec somnus ad eum, qui hoc diutius caruit, adveniat, primum dandae, post somnum, cum iam aliquid vigoris, tam eo quam medicina partum, & iam nimiae incitabilitatis aliquantum detritum, est, duplum adiiciendum, & sic paulatim, donec minoribus & naturalibus stimulis contineri salus queat, adaugendum.

DCLXXXIV. In indirecta debilitate, CL guttae continuo largiendae; dein minus minusque ad eundem, qui modo (DCLXXXIII.) relatus, finem superaddendae. Utraque haec mensura adultis fere viris, minus ineunte & provecta aetate, convenit. Quin & habitu, vitae consuetudine, locique natura, & hominum proprietatibus, regula porro variat.

DCLXXXV. Et, quoniam solus diffusibilium stimulorum usus tum solum respondet, cum, consuetis & naturae magis congruis praesidiis, servari vita nequit, sanguinisque copia, & reliqui stimuli, cito perficiendae valetudini necessarii, fiunt; igitur etiam ab initio cibus carneus, si non firmus, quia is neque recipi, neque digeri potest, at fluens, tamen, iusculorum forma, protinus dandus & cum omnibus

medicinae diffusibilis dosibus alternandus; dein paulatim, redeunte vigore, firmi primum perexiguum aliquid, dein plus usque ingerendum, & reliqui stimuli, suo quisque tempore, inducendi; donec tota curatio in communem valetudinis secundae administrationem, ubi medicis minus praeceptis opus est, terminetur.

DCLXXXVI. Ubi mixtum magis ex utroque debilitatis genere malum est, hae curationis partes pro portione erunt miscendae.

DCLXXXVII. Contagio, quae vel nihil solitarum noxarum effectui adiicit, vel eodem opere, & hoc, minime magno, nocet, non aliter moranda, quam ut tempus, quo corporis foraminibus, una cum humore perspirabili, discedat, detur, eoque, quod nihil consilio adiicit, quoniam id stimulando perficitur, perspirationi consulatur.

DCLXXXVIII. Postremo humorum in extremis vasculis corruptioni, non eam recta tollentibus, humorum statum mutantibus, rebus, sed in firmorum incitabilitatem agentibus, incitationem ubique corporis, eoque in laborantibus vasculis, augentibus, obviam eundum.

DCLXXXIX. Iam tota descendentis incitationis, a peripneumonia ad pestem, a morte per indirectam, & ad eandem per rectam, debilitatem inducta, serie ita percursa; ut haec nova scientia, si non elaborate, non affabre, non summo artificio, perfecta est, at primis saltem lineamentis descripta, & quasi rudis statua, quae deinde poliatur, omnibus membris aliquo modo formata, & universa perpetui operis ratio comprehensa, videatur; ad locales deinceps morbos transeundum.

DCXCIII. Quarta pars eorum est, in qua contagio, extrinsecus admota corpori, per totum hoc dimanat.

DCXCIV. Quinta pars, admotis venenis, & per universa vasa dimanantibus, sic exoritur, ut haec non protinus, non ab initio, vel ad augendam vel ad imminuendam incitationem, pertinere; sed, in partes, aliud in aliam, incidentia, harum varie texturam offendere, perque hanc offensionem, reliquo dein corpore tumultuari, intelligantur.

CAP. II.

Prima instrumentalium morborum pars, ubi nullus adfectus, nisi in loco offenso, sequitur.

DCXCV. Quod ad primam morborum localium, instrumentalium, partem, attinet; offensae, quae eos pariunt, sunt, aut continuitatem vulnerando, rodendo, venenando, solventes, vel partem, contundendo, comprimendo, nervos distendendo disturbantes.

DCXVI. Continuitatem solventes offensae sunt, quicquid caedit, quicquid pungit, quicquid, tormenti bellici vi, in corpus altius immittitur. Acria & venena alio modo solvunt continuitatem.

DCXCVII. Ubi quaevis harum offensarum levius superficiem dividit, & ad imam cutem vix, aut non omnino, penetrat; ad leviusculum hoc vitium solvendum, aëre & frigore secluso, & irritante materia vitiata, nihil amplius opus est. Nam solus cuticulae

aliud hic, quam in communibus morbis, accidit. Incitabilitas, seu vitae proprietas, qua vitae actiones efficiuntur, ubicunque vita, sive in parte, sive toto corpore, laeditur, cum res externae in incitabilitatem agentes, admoventur, salutem procreat. Incitabilitas his rebus adfecta, id est, incitatio, tam in partibus, quam toto corpore, firmorum statum regit. Quodque ad continuitatis solutionem attinet; omnibus firmis, sive vivis, sive mortuis, communis inter se cohaerendi & coalescendi proprietas est.

CAP. III.

Altera morborum localium pars.

DCCII. Alterius partis morbi sunt, gastritis, & enteritis, item sanguinis, indidem subsequente inflammatione, profluvium, denique in quolibet loco, perquam sensibili, ex edacto vulnere, commovent totum corpus inflammatio.

DCCIII. Praecipua gastritidis symptomata sunt, in ventriculi regione dolor, ardor, altius situs, omni esca, potione omni, &, quicquid intus adsumitur, eo crescens, anxietas, singultus, vomendi cupiditas, assumptorum repentina reiectio, pulsus brevi debiles, citi, celeres, duriusculi, facti.

DCCIV. Noxae excitantes, & continuitatem solventes, sunt stimulantia caedendo, pungendove, vel acria rodendo, agentia. Cuiusmodi sunt piscium ossicula, vitrum contritum, vel piper cayenense, & similia.

bus forte coniungitur, nihil aliud faciendum, quam ut, blandis mulcentibus liquoribus immissis, tener locus a rudi contactu defendatur, & tempus, quo inflammatio cursum peragat, detur; &, si mature in auxilium medicus vocetur, materia nocens diluente potione abluatur.

Enteritis.

DCCVIII. Enteritis adfectus localis est, ubi dolet abdomen acute, distenditur, & circa umbilicum quasi torquetur, ubi vomitur, & alvus pertinaciter adstringitur, & pulsus tales sunt, quales in gastritide.

DCCIX. Noxae, enteritidem excitantes, eaedem prorsus sunt, quae gastritidem excitare dictae sunt: Scilicet,

DCCX. Similis prorsus modo, ac in gastritide, suboritur inflammatio, eoque facilius, quo ventriculo magis intestina sensibilia, quod notum omnibus, sunt. Hinc quoque similiter toto corpore tumultus diffunditur.

DCCXI. Abdominis dolor acutus ab inflammatione pendet. Eiusdem distentio & alvi compressio retenti stercoris proles sunt. Eadem vomendi causa; nam proibito propter obstaculum motu peristaltico solita via deorsum procedere, inquietus is natura sua sursum recedit; utpote qui neutram viam adfectet, nisi quatenus impellens stimulus aut superne, ut sanitas postulat, aut inferne, ut in aliis, & hoc potissimum morbo, exordiatur. Torquentem circa umbilicum dolorem eo facit inflammatio, quod intestinorum, quae morbo plectuntur, praecipua & longe maxima pars circa umbilicum complicata, volvitur.

DCCXII. Eadem, quae in gastritide, diagnosis est; nisi quod fructuum semina, pili, & aliena similia, quandoque, propter motus peristaltici torporem, canalis intestinalis lateribus adhaerentia, inflammationem, irritando, paulatim accendunt. Quae res, si propius adspiciatur, si semel eam quis contempletur, diagnosin haud turbabit.

DCCXIII. Curatio eadem prorsus, ac in gastritide, est.

DCCXIV. Reliquae omnes phlegmasiae, itidem vocabulo designatae, cuiusmodi sunt, splenitis, hepatitis, nephritis vera, cystitis sine calculo, hysteritis tumore scirrhoso non nata, & peritonitis, ad hanc partem neutiquam pertinent; utpote quae, si unquam eas inflammatio creat, non a stimulantibus & acribus, quorum neutris ad clausa viscera aditus est, non enim vasis aut perferuntur, aut perferri possunt, sed ab aliorum reliquiis morborum, de quibus postea sermo erit, cum exceptione sequente, proficiscantur.

DCCXV. Exceptio erit, si quis praeceps ceciderit, si quis gladio per quodvis viscus transfossus sit, si cuius venenata sagitta viscus quodvis penetraverit; eum, in

DCCXVI. Hepatitide, dextri hypochondrii dolore laboraturum, vomiturum, singultiturum; in

DCCXVII. Splenitide, hypochondrio sinistro doliturum; in

DCCXVIII. Nephritide, ut aiunt, vera, in renis regione dolorem persensurum, in vomitum & cruris stuporem incasurum, in

DCCXIX. Cystitide, hypogastrii tumorem & dolorem passurum.

DCCXX. Sanguinis (DCXCVIII.), subsequente inflammatione, profluvium, quale in hysteritide ex violento partu, in abortu, in cuiusvis loci interioris vulnere, accidit, loci laborantis dolore & casu praecedente, facile dignoscitur.

Hysteritis.

DCCXXI. In hysteritide hypogastrium calet, tenditur, tumet, dolet, vomitur.

DCCXXII. Noxae, hysteritidem excitantes, ad vim utero adlatam omnes redeunt. Sic inter pariendum adhibita violentia, coactus praepropere partus, continuitatem saepe solvunt, uterumque laceratim vulnerant.

DCCXXIII. Et, quoniam sanguinis plurimum sic saepe perit, adfectumque localem totius corporis debilitas subsequitur; ideo, non ut vulgo fieri solet, sanguis arte demendus, omne purgationis genus adhibendum, cibo mulieri interdicendum; sed primum loci laborantis ratio habenda, corpus reclinandum, quieti studendum, iuscula lauta, vinum, danda; mox cibus e carnea natura, firmior, frustulatim, sed saepius edendus, vulva per frigidam lavanda. Et, si ingruat forte debilitas, ad vini plus, potionem hac validiorem, & opiata, decurrendum. Cuius utique usus, ne inter initia quidem, negligendus.

Abortus.

DCCXXIV. In abortu tergum, lumbi, venter, parturientium instar, dolent; & vel menstrua praeter

solitum profunduntur, vel e vagina sanguis praeter ordinem profluit.

DCCXXV. Noxae, abortum concitantes sunt praeceps casus, lapsus, temerarius gressus; intentior ambulatio, cursus, ascensus & descensus. Verum raro tamen morbus, nisi prius imbecillis, accidit & potentissima eam noxa excitans est, ex abortu priore, labes aliqua relicta, quae tanto maior usque fit, quanto plures abortus, praecesserint.

DCCXXVI. Prohibendi consilium est, omnes noxas excitantes praecavere; equo, si qua paulo validior est, sed tutius rheda, vehi; a tertio graviditatis mense ad septimum praeteritum observare; corpus roborare; mentis & animi tranquillitati prospicere.

DCCXXVII. Medendi consilium est, corpus reclinatum, coxis capite altioribus, servare; animi & corporis quieti studere; sanguinis iacturam iusculis, vino, resarcire; vasa, quo contractiora eorum lumina sint, opiatis firmare, & sic, atoniam simul & laxitatem, quae praecipua profluvii causa est, adimere.

Difficilis partus.

DCCXXVIII. In difficili partu, qui longe plerumque ex imbecillitate oritur, semper, ubi diutius permanet, imbecillitatem patit, sustentanda vino mulier est, in difficiliore, iamque in longitudinem excursero, opium interiiciendum.

DCCXXIX. Ubi iam laesa aliqua uteri pars offensis relatis (DCCXX. est; iamque partus eductus una cum placenta est; ita, ut in abortu, reclinata mulier

lier habenda; iusculis, pullina carne, vino & altioribus stimulis roboranda; contraria vitanda; & vulneris conglutinatio expectanda.

De altioribus vulneribus.

DCCXXX. In altioribus vulneribus (DCXCVIII.), ubi globus, si is causa fuit, extractus iam est, vel, etiamsi intus in loco non vitali, permanet; primum totum corpus summopere irritatur, calet, dolet, aestuat, iactatur; pulsus validi, pleni & sanis crebriores, existunt. Quae ideo fiunt, quod localis, sive supervenientis vulneri inflammationis, stimulus sensibilem locum assidue irritans, universum corpus (DCCI.), ut supra relatum, commovet.

DCCXXXI. In hoc casu quia diathesis sthenica propter vulneris irritationem toto corpore subnasci vulgo creditur, ideo antisthenica curatio per totum morbi cursum semper usurpatur, & opii, qui cum antisthenicis auxiliis coniungi solet, usus ad sedandum tantum; & dolorem obtundendum, recipitur. Eoque, propter febris superventurae metum, licet saepe plurimum sanguinis, adacto vulnere, profusum sit; is large arte detrahitur, alvus purgatur, alimentum negatur, inedia inculcatur. Unde mors saepius, quam salus, finis.

DCCXXXII. Quae tota ratio falsa est, ut omnia huius doctrinae principia, & ipsa istius curandi generis infelicitas, demonstrat. In eo, qui plurimum sanguinis perdidit, sanguinis abundantia, nunquam sthenicae diatheseos causa, esse potest. Neque, quare serosi humores fundantur, aut novi per cibos non

suppeditentur, ulla ratio, paulo probabilior, reddi potest. Frustra pulsuum crebritas, tanquam sanguinis abundantiae, & nimii vigoris, vel ullus irritationis, cui antisthenica curatione opus sit, signum, insimulatur. Nam, nisi simul, praeter duritiem, validi & pleni sint; eorum omnem celeritatem e debilitate & sanguinis inopia, pendere, saepius supra demonstratum est. Cum denique diathesis sthenica a communibus noxis sthenicis (CXLVIII.) pendeat, cum doloris ex adfectu locali, maximeque inflammatione, vis, non ad eam diathesin accendendam, sed ad debilitandum (DCCI.), pertineat; haec alia causa est, quare habitus, aut talis, qualis ante vulnus fuit, permanere, aut in asthenicum degenerare, credendus sit. Postremo vera, irritationem inter & diathesin sthenicam, distinctionis explicatio, eandem rem confirmat; utpote cum diathesis sthenica sit is corporis status, quem omnia communiter stimulantia, idemque praestans vasorum plenitudo, creant, a debilitantibus communiter quoque & attenuantibus auxilis, solvendus; contra irritatio is, ubi saepe, sine omni stimulo, totum corpus debilitatur; saepe localis stimulus, qualis distentio spasmum, vel acidum merum convulsionem, vel vulneris dolor communem hic commotionem, excitans, enormes in corpore debili motus efficit: sed sive stimulo caret debilitas, sive eo cietur, nunquam debilitantibus auxiliis attenuantibusque, saepe mediocriter stimulantibus, opus est; solumque, ne diathesis sthenica curationis genere creetur, & sic communis morbus locali, hunc haud dubie exasperaturus, addat, curandum.

DCCXXXIII. Ut igitur, febris accessurae metu,

&, ad inde tumultum sedandum, antisthenica curatio non tractanda est; quae e contrario, ad febrem suscitandam & illum tumultum ciendum, pertinet; ita nec stimulans medendi ratio, nisi conglutinato iam vulnere, aut provecto morbo, iamque multo e doloris mora debilitatis inducto, tentanda, ne sanguis, in caecos & apertos vasorum fines, rapidius quam casus feratur. Neutra enim hic subesse diathesis, tantumque corporis commotio, e locali adfectu, pendens, intelligitur, eoque neutrius auxiliis opus esse.

DCCXXXIV. Primis morbi diebus, quia non amplius, gestationem, exercitationem, aut alias corporis pariter & animi, mentisque, actiones, pro consuetudine sua, subit aeger, eoque minus alimentum & solita refectio requiritur, igitur solitis stimulis ita aliquid demendum est; ut id, quod adhibeatur, praesenti aegrotantis conditioni respondeat, & vulneris modo (DCCXXVII.) relato statui conveniat. Igitur, ne impetus in vasis nimius sit, silentium circa aegrotantem servandum, tacendum ipsi, quiescendum, positura, nisi ad ingratum eiusdem diuturnioris sensum vitandum, non, ac tum tantum quam cautissime, mutanda; iacenti in urinalem meiendum, iuscula potius, quam solida caro, sumenda, plaga quotidie, quo detergatur, exploranda; cursus eius observandus; ipsa nudanda; recente molli blandaque materia contegenda; & si etiam hoc tempore mens forte deficiat, vini cyathus non denegandus.

DCCXXXV. Post aliquot dies, pro aegrotantis viribus, plures, pauciores, cum iam, propter doloris magnitudinem aut diuturnitatem, in debilitatem ruit habitus; praeter iuscula ante concessa, caro, quam

maxime lauta & tenera, danda, vinum parcius, sed saepius, ad summam large, dandum; ad opium, quod vulgo protinus ab initio dari solet, tum denique, & si qui alii stimuli diffusibiles sunt, ad eos confugiendum; morbusque eodem prorsus modo, quo typhus, tractandus.

DCCXXXVI. Ubi partes exteriores perquam tenerae rudi materia violantur, cuiusmodi is casus est ubi spina infra unguem (DCCI.) impingitur; & ab offensa parte inflammatio latius serpit, dein ob magnam laesae partis sensibilitatem totum corpus in consensum trahitur; violatus locus aqua calida fovendus, linteis filis molli blandoque unguento tegendus; quamdiu latius tumultus per corpus grassatur, quiescendum nihil amplius faciendum.

CAP. IV.

De communi morbo in localem degenere.

DCCXXXVII. Ut ad localium instrumentalium morborum partem (DCXC.) accingar, ubi communis in localem morbum degenerat;

Suppuratio.

DCCXXXVIII. Suppuratio inflammationis cuiusvis, sive sthenicae, sive asthenicae, & sic perpetuorum morborum simptomatis, sive adfectus localis tam sthenici, quam asthenici (CLXVIII. ad CLXXII. CCII. ad CCXII. DCLXXXIX.), perpetuus even-

tus est. In eo pulsus molliores, pleniores, tardiaros-que paululum, quam morbo sthenico, plurimum, quam asthenico, praecedentibus, cum undulatorio partis laborantis, & quasi, pulsatorio motu, sunt, quibus notis horror plerumque praecedit. Si intus situs adfectus est, quiescendum, stimulandum; si extra, laborans locus tiam fovendus.

Pustula.

DCCXXXIX. Pustula est vesicula purulenta, turgens, & tandem, prae ipsius teneritudine & puris copia, sponte dehiscens, pusque eiiciens.

DCCXL. Variolam sequitur, a contagione, ei morbo propria, nata; in quo plures aut pauciores pustulae sunt, prout plus minusve diatheseos sthenicae, per malam curationem aut idoneae neglectum, psaecesserit.

DCCXLI. Consilium medendi est, prius sthenicam diathesin, dein, si haec in asthenicam transiit, asthenicam, suis utramque remediis, solvere, spirituque valido aut opio pustulas adspergere, & in priore casu calorem, in posteriore frigus, cavere, pustulas aperire; fovere.

Anthrax.

DCCXLII. Anthrax estt umor glandularis subcutaneus, apice gangraenosus, inflammatis circumcirca oris.

Bubo.

DCCXLIII. Bubo est tumor glaudularis, praeci-

pue in inguine alterutro, ad suppurationem tendens.

DCCXLIV. Hi duo adfectus, quamquam, ut & carbunculus, semper fere cum perpetuo morbo, nempe, quandoque typho, longe saepius, peste, coniunguntur; a contagiosa materia pendent, &, quantum communibus corpori auxiliis non parent, spiritu validissimo desuper infuso, ut & laudano, & incisione, curandi sunt.

Gangraena.

DCCXLV. Gangraena est pars male inflammata, in suppurationem non desinens, livens, vix dolens, pustulis iehorosis, ac tandem emoriens. Eius, ubi vita non sinitur, finis est emortuae partis prius separatio, dein, concitata circa vicini loci oras vivida inflammatione, eius, quod periit, regeneratis vasis, refectio.

DCCXLVI. Praecedens gangraenam noxa est inflammatio semper, saepe ad extremum in loco sensibili vehemens, saepius, & in loco minus sensibili, minus vitae vi sustentato, languida, modo (DCCXXXIII.) phlegmasiarum, modo febrium, est ubi, phlegmonarum localium, simptoma (DCXII.) est.

DCCXLVII. Eidem medendi ratio est, ubi in canali alimentario gangraena subest, potionem spirituosam, laudanum, infundere; ubi viscera clausa laborant, iisdem & aliis stimulis diffusibilibus fidere. Utque eadem etiam externae grangraenae conveniunt, ita inungendum liquidum opium parti morienti est, adfundendus spiritus, iam mortua excidenda, vivi circa loci margo stimulandus, ibidem inflammatio accendenda.

Sphacelus.

DCCXLVIII. Sphacelus est gangraena perfectior, latior, extincto sensu, motu, calore, ubi pars mollescit, nigrescit, nigra penitus fit, putrescit, tandem ad ossa usque penitus putris, penitus cadaverosa, evadit, migratque rapide ad vicina loca, & vitam celeriter extinguit.

DCCXLIX. Remedia eadem fere, quae in gangraena, sunt, sed validiora, vel copiosius, adcuratius, adhibenda, cum minore salutis spe. Cum membrum aliquod laborat, primis sphaceli symptomatis adparentibus, illico, ne pars sincera trahatur, illud recidendum.

Tumor cum ulcere Scrofulosus.

DCCL. Cum tumor & ulcus scrofulae inveteravit, glandulam parotidem & circumcirca loca deturpavit, & omnia, quae ad scrofulam solvendam possunt, auxilia sunt adhibita; tum, nisi ut tener locus mundus servetur, saepe frigida lavetur, & ab aëris iniuria defendatur, nihil amplius faciendum.

Tumor scirrhosus.

DCCLI. Cum tumor, qui, modicus adhuc, tantummodo perpetui, qui scirrhus dicitur, morbi pars seu symptoma ante fuit, iam certam magnitudinem adeptus est; si externus est, aut in exteriore & gibba iecoris parte, is excidendus, corpus roborandum;

si internus est, nisi, ut augmen eius stimulantibus auxiliis prohibeatur, & sic vitae, quantum maxime fieri potest, longitudini, & quam optime, pro praesente rei statu, valetudini consulatur, nihil aliud attentandum.

DCCLII. Quae restant duo capita, propter obscuriorem eorum & reconditam magis naturam, si unquam erunt adgredienda, in praesentia differantur necesse est. Tertium caput, imperfectius hic inchoatum, propterea quod, fusissime id percurrisse, summi ad artem momenti est; igitur, simul ac otii & liberioris cogitandi facultatis, quibus ad illud absolvendum in primis opus est, copia facta fuerit, ut absolutius demum in lucem exeat, curabitur.

FINIS.